P. Adrius Candulus Rhe
Professor in C°. Rom.°

SS. Abund. et Abundant. Patt.

SANCTORVM MARTYRVM

ABVNDII PRESBYTERI, ABVNDANTII DIACONI, Marciani, & Ioannis eius filij,

PASSIO

Ex tribus vetustissimis, & manu scriptis codicibus deprompta,

Cui additæ sunt Inuentiones, & Translationes, & ad historiam Notæ.

ROMÆ, Apud Franciscum Zanettum

CIↃ· IↃ· LXXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO GREGORIO XIII. PONT. MAX.

Parenti optimo, Fundatori,

Collegium Societatis Iesu Romanum salutem, & felicitatem.

QVANTAM, Pater Beatissime, Sanctorum hominum, quorum animas in cælum receptas, & Dei possessione beatas pie credimus, ac profitemur, sepulcra, reliquiæ, & cultus, vim habeant ad excitandum, vel augendum in mentibus Fidelium, internæ religionis ardorem, cum recta ratio, & veterum patrum auctoritas, & constans Ecclesiæ Orthodoxæ consensio, tum quotidianus vsus, & experientia in primis ostendit. Ac, ne qua pars officij pastoralis in te desiderari pos-

ſe videretur, hanc quoque dignam Pontifice cogitationem ſuſcepiſti, vt ſacras ædes, aras, memorias martyrum, aut nouas extrueres, aut vetuſtate collabentes inſtaurares, aut exſtructas, & inſtauratas, liberaliter exornares. Nos quidem, vt alia, eaque prope innumerabilia, & ſingularia tuæ paternæ in nos bonitatis, & perpetuæ benignitatis exempla nunc omittamus, proximis certè diebus hoc quoque beneficij genus experti ſumus; cum ampliſſimum templum, quod ſanctiſſimo nomini Ieſu ad vſum, ac munera noſtræ ſodalitatis, & ad publicam Chriſtiani populi commoditatem, Alexander Cardinalis Farneſius ingenti ſumptu nuper ædificauit egregio munere, hoc eſt SS. Martyrum corporibus nobilitare, ac locupletare voluiſti. Quo quidem facto pietatem, ac religionem æmulatus es SS. Pontt. inprimiſq. Damaſi I. Paſchalis I. & Leonis III. qui ſacras reliquias inuenerunt, & honorifice recondiderunt. Et profectò tantæ Baſilicæ ſplendori, magnificentiæ, dignitati id vnum deerat decus,
& or-

& ornamentum, quod non nisi à pontificia poterat potestate, atque auctoritate conferri. Hac liberalitate immortali Deo gloriæ, SS. Martyribus honoris, populo Christiano pietatis, templo ipsi religionis, nobis denique lætitiæ facta est insignis accessio. Argumento est ingens hominum multitudo, quæ simul ad sollemnis pompæ spectaculum primo die, simul ad sacrosanctas reliquias toto quidem insequenti triduo, sed vltimo die præcipue, qui Dominicus fuit, continenter religionis ergo confluxit. Atq. vt professæ quidem Domus fuit; honorifice sacra ossa excipere, & collocare, aliorum vero Collegiorum, quæ à tua constituta sunt prouidentia, & nostræ societatis curæ concredita, decenter, pieque comitari; sic huius nostri, seu tui potius Collegij partes fuerunt, præter communem illum honorem, & comitatum, quoniam secundum noui gymnasij frontem sanctæ reliquiæ praeferebantur, affixis varij generis poematijs, & emblematis, horum Sanctorum laudes, ac merita celebrare. Illud præterea, ac

multo etiam magis noſtri eſſe officij duximus, vt ipſorum beatiſſimorum Martyrum paſſionem è tenebris erutam, ad Chriſti Domini gloriam,& ad communẽ fidelium vtilitatem quamprimum ederemus in lucem. Quapropter ex tribus vetuſtiſſimis codicibus manu ſcriptis, quorum vnus in oppido Ariniano (vbi Martyrum corpora à B. Theodora ſepulta,per annos circiter D C C. iacuerant) penes nobiliſs. virum Lucium Sabellum, eius oppidi Dominum, aſſeruatur, alter Romæ in tabulario venerandæ Baſilicæ S. Mariæ maioris exſtat, tertius, qui cum Arinianenſi exemplari pæne ad verbum conſentit, in Monialium perantiquo retinetur cœnobio, & Eccleſia, quam in Etruria prope vrbem Senas Pipinus,Caroli Magni Imp.filius, Italiæ Rex à Leone I I I. Pont. max. appellatus, atque inunctus, his ſanctis Martyribus ædificauit; ex ijs, inquam, veteribus ſcriptis (quæ cum priſcam illam ſimplicitatem, pietatemque redoleant, à Notarijs S. R.E. manaſſe creduntur) breuem totius martyrij narra-

tionem collegimus, vna cum prima translatione, ab Othone III. Augusto facta anno Domini circiter MI. cum ex Ariniano Romam sacra corpora sunt importata, & in templo S. Adelberti Episc. & Mart. ab eodem Imperatore inter duos Pontes exstructo, quod postea S. Bartholomæi nomine appellatum est, collocata. De altera translatione, qua in ecclesiam SS. Cosmæ, & Damiani fuerunt illata, quamuis omnia inuestigauerimus, perscrutatique simus, tamen, vt nihil compertum habemus, ita suspicari aliquid, seu coniectare possumus, quod in nostris ad historiam notis explicabimus. Hanc tertiam, tuo iussu factam, adiecimus, vt maximi beneficij perpetua exstet memoria. Vt vero huius operæ fructus ad plures pertineret, & gratior esset, atque iucundior, cum prælo subijcere statuissemus, tibi potissimum, B. P. opusculum dicandum existimauimus, qui totius rei, & beneficij auctor fuisti. Accipies igitur hoc nostri vt erga te grati, sic in sanctos Martyres pij animi monumentum

ea facilitate, & mansuetudine, qua hoc tuum Collegium, atque adeo vniuersam Societatem Iesu prosequi consueuisti: quod sane vt quam diutissime facere, & de tota Ecclesia Dei benemereri possis, nos more nostro pro eo, ac debemus, semper tibi & salutem plurimam, & incolumitatem longissimam à Domino comprecamur.

SAN-



Christigenæ idolis dare thura iubentur Abundi,
Voce præis cunctis, et dare thura negas.

SANCTORVM MARTYRVM ABVNDII, ABVNdantij, Marciani, & Ioannis eius filij passio.

*Temporibus * Diocletiani, & Maximiani Impp.* orta est seditio Pontificum in vrbe Roma: & venerunt ad Diocletianum, & Maximianum, dicentes; Contra salutem vestram multi Iesum Christum colentes, seducunt populum, & dicunt nos debere templa relinquere Deorum nostrorum, & nefariæ sectæ eorum consentire, & Iesum imitari; & ingredientes Dijs nostris insultãt, & vana numina Deorum nostrorum esse dicunt, & plurimos in eorum errorem pertrahunt. Sed iubeat Clementia vestra, vt inquirantur in tota vrbe, & vbicunq. inuenti fuerint, ducantur ad Deos nostros, & tura eis, & libamina offerant: qui autem hoc fecerint, honorem palatij vestri habeant, & in locum suum restituantur: qui vero noluerint sacrificare Dijs omnipotentibus, iubeat pietas vestra eos puniri, sicut in sacris legibus præcipitur, vt alijs exemplum præbeant.* A B

Edicto igitur proposito in vrbe Roma, factum est post biduum, stetit quidam legis consultor ante Diocletianũ Imp. & dixit: Pietati vestræ suggero, quia sunt viri in hac vrbe constituti, & absconditi, qui huius sectæ sunt auctores, & populum seducunt recedere à templis, & eorum vanam doctrinam imitari

tari:sed iubeat clemētia vestra eos teneri, & ducantur; vt consentiant religioni vestræ, & Dijs sacrificent. Tunc mandauit Imp. sub omni celeritate illos ad se perduci: qui velocius abierunt, & perduxerūt eos ante Imp. eratq. numerus eorum, vigintiquinq. C * inter quos erat Beatus Abundius presbyter, & Abundantius diaconus, qui eis ministrabant, & doctrinam Christi docebant.

Qui cum venissent ante Imperatorem, prorupit Imperator, dicens: Vnde estis? aut cuius religionis. D Respondit Abundius presbyter, & dixit, * Omnes isti, quos conspicis, Christiani sunt, & nomina dederūt in cœlo: Diocletianus Imp. dixit, Vt video, tu seducis eos, vt non sacrificēt Dijs omnipotentibus, Tūc illi omnes quasi ex vno ore dixerūt; Nunquam bene sit Dæmonibus tuis, quos colis: absit, vt eis ceruices nostras inclinemus, aut eis sacrificemus; sed nosmetipsos offerimus sacrificium piæ deuotionis Domino nostro Iesu Christo, hostiam viuam in odorem suauitatis, vt animas nostras à tenebris eruat, & ad veram lucem perducat. Dij autem tui cum suis cultoribus in æternum pereunt.

Dicit Diocletianus ad B. Abūdium, Qui vocaris? E Respondit Abundius presbyter, & dixit, * Primo nomine spirituali Christianus sum, & presbyter dicor: secundo vero corporali Abundius nuncupor, peccator, & seruus seruorum Domini nostri Iesu Christi. Nunc autem certissime scias, quòd neque me, neque aliquem ex istis, quos vides, à Christi fide deuiare poteris, qui semel conscripti sunt in libro

bro vitæ, & nunquam obedient tibi, vel simulacris tuis.

Tunc S. Abundantius Diaconus dixit ad Diocletianum; Putas, quòd nos adoremus idola surda, & muta, et sine anima ad iniuriam summi Dei, qui cuncta creauit ex nihilo? nos enim scimus ista ærea esse, & lapidea, & ab hominibus fabricata. Vos ergo in tanto errore deuoluti estis, vt derelinquatis Deum, qui cuncta creauit, & idola manu facta adoretis, & colatis, & lapidi dicatis, Deus meus es tu; & ligno dicatis, Adiuua me? hæc enim omnipotens Deus ad vsum hominum condidit, non vt pro Dijs adorentur. Dominus enim noster Iesus Christus de cœlo descẽdẽs docuit nos, vt relicto errore simulacrorum adoremus eum, qui condidit nos. Omnia enim idola manufacta nihil sunt: nam confunduntur omnes qui adorant ea, sicut scriptum est;

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis; & iterum,

Simulacra gentium argentum, & aurum, operá manuum hominũ. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo; neque enim est spiritus in ore ipsorum. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.

Confitere, quod ratione debes. Quis adorandus? Creator, an creatura? Diocletianus respondens dixit; Quis est Creator, & quæ creatura? Respondit

Abun-

*Abundãtius, & dixit; Sic repleuit cor vestrum diabolus, vt non intelligatis hominem loquentem? Dixi tibi, Deus pater Domini nostri Iesu Christi, qui per Verbum suum, cooperãte Spiritu sancto, fecit cælũ, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Hunc omnium Creatorẽ nos Christiani adoramus, & ipsi placere gestimus. Nam idola vestra, quorum effigies gypsea, lignea, ærea, atque lapidea est, vel quibuscunque metallis deornata esse noscuntur, perpetuo igni tradentur, & in æternum peribunt cum simul colentibus ea. Diocletianus Imp. dixit, Quid variatis? Sacrificate * Deo Herculi, & Ioui, inuictissimis, & euadetis tormenta, & nolite in uanũ perdere vos metipsos.* Responderunt Sancti Martyres, & dixerunt, Perdet te Deus, quoniam nos seruos suos sine causa affligis, qui sumus inculpabiles: & hoc tibi notum sit, quia nunquam sacrificabimus Dæmonibus tuis.*

F G



Viginti atq. tribus pro Christo colla secantur:
Carcere conclusis hoc Theodora refert.

Tunc iratus Diocletianus iußit amoueri sanctos Abundium, & Abundãtium, & in carcerem recipi
H ** in custodia Mamertini; ceteros vero viginti tres fideles in Christo iußit duci foras muros ciuitatis*
I *Romæ* via Salaria veteri, & ibidem capite trũcari. Martyres vero inclyti Christi, ducti cum gaudio ad perfectam, & sine dubitatione viam, prospicientes in cælum, dixerunt; Deus omnium, & Domine vnigenite, Iesu Christe, fili Dei viui, qui cælum extendisti, & terram insuper aridam fabricasti, quem nos ignorabamus, seruientes olim in errore, & fœda exhibitione, & per tuas sacras paginas veritatẽ didicimus; tu naturæ conditor es, tu Dominus cæli ac terræ, qui creasti omnem orbem, & omnia, quæ in eo sunt, quem nunc cognouimus ante Luciferum genitum, quem omnis abyssus tremit, & metuit, & omnis mons, & collis contremiscit, audiens terribile, & gloriosum nomen tuum: tu domine Iesu Christe, spes eorum, qui ad te confugiunt, liberator eorum, qui in te sperant, respice de cælo, & miserere nobis, & suscipe animas nostras, non reputans nobis delicta iuuentutis, & ignorantiæ nostræ, quæ ignorantes, & existentes in altitudine tenebrarum harum egimus, sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto nostri, Deus.*

Orantes vero, & signaculum Christi in fronte sibi facientes, tendẽtes simul capita sua prompte cum lætitia magna, finem huius sæculi susceperunt, & sic per proprium sanguinem, gratia Dei, sibi ipsis memoriam æternam instruxerunt Nonis Augusti:

**quo-*

*quorum corpora tunc collegit Ioannes presbyter, & Theodora matrona, & sepelierunt ea in crypta in cliuo Cucumeris. K

Tunc B.Theodora venit ad carcerē ad B. Abundium presbyterum, & Abundantium diaconum, & narrauit eis, quomodo constāter suscepissent Sancti martyrium, & quomodo venisset Ioannes presbyter vnà cum ea, * & collegisset corpora Sanctorum, & cum aromatibus, & linteaminibus sepelisset eos * in cliuo Cucumeris, in crypta, & post sepulturam eis exhibitā * cum gloria illic celebrasset diuina mysteria in pace. L M N

Cum vero audiuisset Diocletianus Imperator quia cum magno gaudio acceperunt palmam martyrii sancti Martyres, amplius contristatus est, quia multò eos amplius non cruciauit.

Post



Tormentis multas cruciatur Abundius horas
Cum consorte simul nominis atq necis.



Patria uos, nomen, pietas, nex una, sepulcrum
Deniq coniungit, palma, triumphus, honor.

*Post dies vero xxij. iußit Diocletianus produci sanctos de custodia Abundiũ, & Abundantium, & * præsentari in Tellude, in foro, ante templũ: qui dũ præsentati essent, vincti catenis; his verbis eos Diocletianus Imperator affatus est; Quid tractastis circa salutem vestrã? Ego vobis dedi inducias, vt derelinquentes vanas superstitiones, adoretis Deos immortales, vt non male pereatis. Iam deponite pertinaciã vestram, & artes magicas. Vt quid in vanum perire festinatis? nolite confidere in arte magica, ne vos pereatis simul cum illis, cum quibus tenti estis. Responderunt sancti Martyres, & dixerũt: Stulte, & insensate, quare perditos eos putas, quos cũ Christo credimus regnaturos? non enim perierunt, sed magis cũ Christo gloriãtur. Tu autẽ non es dignus eorũ aspectibus præsentari. Tunc perducti sunt ante legisconsultorẽ, qui eos accusauit, vt eis tormenta præpararet, quibus legisconsultor dixit, præsente Diocletiano: *Si isti extincti non fuerint, nõ erit clarus timor: & omnis ciuitas Romana ad horum sectam curret.* O P

*Tunc Diocletianus iußit eos * leuari in Eculeo, & diu torqueri, qui cum diu torquerentur, dicebant, Gloria tibi, Domine Iesu Christe, rex Angelorum, qui es cunctorum vera ac perpetua salus populorũ, quia meruimus esse socij seruorum tuorum. Dicit eis Diocletianus, Iterum Christum nominare audetis? Per virtutem magnam Dei Herculis, modo extinguam pertinaciam vestram, & faciã vos capite cædi: & iußit eos statim duci * in viam Flaminiam * decimo ab vrbe milliario, vt ibi capite truncarentur.* Q R S

B *Dum*



Damnati ad decimum lapidẽ ducuntur. ademptũ
Morte parens natum plorat, opemq petit

*Dum autem ducerentur sancti Dei Abundius, et Abundantius vincti catenis, venerunt * iuxta ciuitatem Lubram. Tunc obuius occurrit eis * Marcianus, clarißimus vir, & perstrepens, & lugens dicebat, Heu me, quia amisi filium meum; Dicit ei B. Abundius presbyter, Ecquis tulit tibi filium tuum? Respondit Marcianus, & dixit, Mortuus est: sancti Martyres dixerunt ad eum; Si credideris in Christum, modo saluabitur anima tua, & filium tuum habebis incolumẽ. Dicit ei Marcianus, Quidquid mihi iusseritis, faciam; tantum vt resuscitetis filium meum. Responderunt sancti Martyres, & dixerunt ei; Cito affer eum ad nos, & videbis opera Domini nostri Iesu Christi: qui quidem Marcianus cum abijsset, vt filium suum afferret, ministri diaboli noluerunt sustinere, vsque dum rediisset de ciuitate Lubra.*

T V



Extinctus puer affertur. prece surgit ab umbris,
Cum nato patrem mox sacrú tingit aqua

Cum vero peruenissent ad locum prædictum, ecce Marcianus venit cursu rapido, & mortuum filium suum in vlnis deferens, humiliter est Sanctorum pedibus deuolutus, dicens, Per Christum vos coniuro, pro quo hæc patimini, vt me simul vobiscum faciatis venire ad coronam martyrij post resurrectionem filij mei.

Tunc multitudo populorum, quæ ad spectaculũ conuenerant mortis, illecti curiositate, mirabantur, si potuisset ab eis mortuus resuscitari. Sancti verò firmam habentes in Christo fiduciam, eadem hora se prostrauerunt in terram, & cum lacrymis orauerunt ad Dominum, dicentes,

Domine Iesu Christe, qui Lazarum quatriduanum de monumento fœtentem suscitare dignatus es, & filium vnicum viduæ, glorificet nunc te Deus pater cum sancto Spiritu sanctitate plenus, & scientiæ largitor sine inuidia, sempiternus rex, Deus misericordiarum, & Dominus omniũ visibilium, & inuisibilium: Te inuocamus, qui es, & qui præsens es, & manes in sæcula Deus, & petimus, & deprecamur magnitudinem, quæ in te est (tu es enim omnipotens Deus, qui dixisti, Ego occidam, & viuere faciam) vt digneris mittere Angelũ tuum, qui reuocet Spiritum in hoc corpus extinctum, vt cognoscant omnes, quia tu es Christus, filius Dei viui, qui pro salute humani generis descendisti de cælo, & venisti in terram, mundum confractum solidare, qui cum Deo patre, & Sancto Spiritu viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Et cum ab oratione ſurrexiſſent, S. Abundius conuerſus ad cadauer, dixit, Tibi dico, terra arida, ſurge in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt viui non moriantur, & mortui reſurgant in æternum cum Chriſto: Et ſtatim aperti ſunt oculi defuncti, & reſurrexit.

X *Tunc Marcianus* **obtulit eis vrceum cum aqua, dicens, Per Chriſtum vos coniuro, vt non tardetis me baptizare, vt vobiſcum perueniam ad coronam martyrij, quem accipiens B. Abundius presbyter, baptizauit eum In nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti, cum filio eius, qui fuerat reſuſcitatus.*

Ea-



Quattuor ense cadunt Christo, Theodora sepulchro
Corpora fert animas excipit aula dei.

Eadem autem hora ipsi ſpiculatores ſurgentes, comprehenderunt Marcianum, & filium eius, vt cum eis pariter decollarentur. At ſancti Martyres poſuerunt genua ſua in terram, & orauerunt ad Deum dicentes,

Gratias tibi agimus, Domine Ieſu Chriſte, Deus Sanctorũ, qui confirmaſti magnũ, & terribile, ac glorioſum nomen deitatis tuæ in eis, qui adorant te manifeſte: qui tenebroſum inimicũ diſperſiſti, qui glorioſum intellectũ in nobis ſeruis tuis in perfectione cõfeſsionis tuæ inſtituiſti, qui mirabilem gratiam Patris tui, & Dei noſtri, Domine Ieſu Chriſte, donaſti nobis, qui ſanctum Iob prouocaſti per nequiſsimum diabolum, & non inueniſti in eo malitiam, cui & conteſtificaſti: Tu Saluator, qui B. Tobiam caſtigaſti, & propter eam, quam in te habuiſti, irreprehenſibilem dilectionem, pietate tua ei miſertus es: Deus vitæ, qui manifeſtaſti caligines tenebrarum, & veritatem declaraſti, qui deſtruxiſti medium parietem, & temetipſum oſtendiſti in opere claritatis tuæ, qui mortificaſti tenebras, & lucem oriri feciſti, & deſtruxiſti dolores perditionis, qui redegiſti, quæ de terra ſunt, in terram, & quæ de cælis ſunt, in cælos; qui eſuriſti, & paſſus es, & crucem ſuſtinuiſti pro nobis, qui in profundum Tartarum introiſti, & mortem noſtram ſuſcepiſti, vt tua morte nos immortales conſtitueres, qui illuminas priores tenebras: Domine Ieſu Chriſte, inſtrue animas noſtras ad dulcedinem viſcerum miſericordiæ tuæ, & connumera nos cum fidelibus tuis, qui

tibi

tibi fideliter placuerunt: quia tu es, qui electionem feciſti Sanctorum; te inuocamus, Domine Ieſu Chriſte, liberator omnium, te adoramus, te deprecamur, & ſupplicamus, qui nos liberaſti de multis tribulationibus, quæ nobis oſtenſæ ſunt; lumen verum in lumine vero tuæ deitatis, ſalua nos, rex cæleſtis, Domine Ieſu Chriſte, apud quem non eſt perſonarum acceptio; perfectos eſſe nos fac in tui nominis confeſſione, iube nos ſuſcipi in tuam gloriam, vt ſplendide induti, effugiamus à malo, quo circumdati ſumus: Redde verò maligno Diocletiano, ſicut operatus eſt in innocentes ſeruos tuos: affiige verò eius incredulum cor, & obduratum, & lapideum eius ſpiritum ad correctionem eorum, qui contemnunt tuam magnitudinem. Nos enim etſi pauperes, & peccatores exiſtimus, rogamus tamen apud ſanctam tuam pietatem, & clemẽtiam in conſpectu tuo nos aſſiſtere mundos, quia agonizamus pro veritate tua, Domine Ieſu Chriſte, cui eſt honor, & gloria, & poteſtas, & imperium cum Deo Patre, & Spiritu ſancto & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen: Et hæc orantes, dixerunt carnificibus, Pro quibus directi eſtis, complete iuſſa vobis. Et vitam finierunt per gladium. Paſſi ſunt autem ſancti Martyres Abũdius presbyter, Abundantius Diaconus, Marcianus, & filius eius, XVI. Kal. Octob.

*Eadem verò nocte venit Theodora matrona cum pueris ſuis, & poſuit eos in vehiculo ſuo, & deportauit eos * in prædium ſuum, milliario ab vrbe* Y

Roma

7 *Roma * vigesimo octauo, & ibi eos aromatibus, & linteaminibus honorauit, & sepeliuit in pace, et gratia Domini, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

PRIMA INVENTIO ATQVE TRANSLATIO

SS. Abundij, & Abundantij ex codice Arinianensi descripta.

1 *POst multos autem annos pace Ecclesiæ reddita, Imperante Domino nostro * piissimo, & æterno Augusto, Othone Magno III. Imperatore, anno primo sanctissimi ac beatissimi Apostolici*
2 *summi Pontificis * Syluestri Papæ Vrbis Romæ,*
3 *exstitit * quidam Episcopus, Adelbertus nomine, omnium artium peritia, & litterarum imbutus, & Deo amabilis, & populo prædestinato, Christi vestigia imitatus, & dominicum præceptum, qui dixit, Qui reliquerit domum, aut agros, aut vxorem, aut filios propter nomen meum, centu-*
4 *plum accipiet, & vitam æternam possidebit. * Hic dum in Sclauonia esset Episcopus, & eos ire per*
5 *abrupta vitiorum cerneret, * Episcopatum deseruit, & monasticum habitum concupiuit.*
6 ** Mansit autem in Ecclesia B. Bonifacij in vrbe*
7 *Roma * dies plurimos, * & ibi regulariter vitam du-*
8 *xit. * Denique cum Domnus Otho Romam venis-*
9 *set,*

*set, quid illic vir tantus faceret, inquisiuit, & eum ad se venire fecit, * [10] & ei Episcopatum restituere curauit, dicens; non esse bonum suam sponsam relinquere; & filios, quos Christus adoptauerat, orphanos deserere; qui cum inuitus esset ad suum Episcopatum adductus, * [11] & a suis non esset receptus, ipse quoque, quis esset, apparuit: quia lumen in tenebris latere non potuit. Antiquorum præcedentium Patrum exemplum imitatus; desiderauit ad palmam venire martyrij. Abijt autem * [12] in aliam Sclauoniam, in qua erant Gentiles; vt eos ad Christi fidem reuocaret, & relicto eorum errore, Deum viuum; qui in cælis est, adorarent, & colerent. Qui cum illum audire noluissent, * [13] interfecerunt eum: & ita bonus pastor per palmam martyrij migrauit ad Dominum.*

Quo audito Rex, ardorem tanti Martyris non ferens, cum senatu Romano, & Episcopis, & clericis extra montes in [14] Sclauoniam pergit ad educendas Romam reliquias B. Martyris Adelberti: Qui manus eius auferens, auro, & gemmis mirè exornauit, * [15] & Ecclesiam nomini eius* [16] inter duos pontes fabricauit, * [17] & magnæ dignitati tradidit; nec non ortum eius, actus, & passionem mira arte composuit, & in libello scribi fecit.*

*Tunc incœpit inquirere corpora Sanctorum Martyrum, & præcepit, vt vbicunque inuenta fuissent, ad Ecclesiam beati Adelberti deportarentur: Et nunciatum est illi, quod * [18] in Ecclesia beati*

Abun-

19 *Abundij, & Abundantij Martyrum, quæ * est iuxta montem Soractis, erant plura Sanctorum Martyrum corpora, qui misit suos nuncios, Episcopos, & clericos, & monachos, vt cum omni honore, & diligentia, & hymnis Dei ad Ecclesiam B. Adelberti ea deferrent. Qui protinus abierunt, & cœperunt inquirere, vbi essent tumuli eorum.*

Et inuenerunt in vno tumulo corpora Beatorum Abundij, & Abundantij posita, & in alio corpus B. Theodoræ, quæ in prædio suo eos sepelierat. Inuenerunt etiam inter eos sanctos Martyres, qui habebant inauratas vestes, & mire exornatas, & super altare eorum, mensam sculptam, & nimis decoratam. Et deportata sunt omnia secundum iussum Imperatoris ad Ecclesiam beati Adelberti Martyris.

Tunc Episcopus, qui præerat sanctæ Castellanæ ecclesiæ, Crescentianus nomine, post Sanctorum prædictorum Martyrum corpora deportata, cœpit tristis esse, etiam & plorare; & accedens ad locum eundem, cœpit quærere diligenter, & amplius inferius fodi fecit, si ibidem remansissent aliqua corpora Sanctorum, quæ sibi consolationem præbuissent: quod Dei nutu factum est; & inuenit ibi corpora beatorum Martyrum Marciani, & Ioannis filij eius, quos B. Abundius presbyter & martyr baptizauerat; & cum magno honore &
20 *reuerentia, collectis clericis, * ad Ciuitatem Castellanam ipsa corpora cum lætitia deportauit.*

Et

*Et dum iuxta Ecclesiam B. Eutichij Martyris transirent, ij, qui ea deferebant, viderunt ex imagine B. Theodoræ, quæ ibi erat depicta, aquam incipientem defluere, ita, vt etiam sacerdotes, qui ibidem vigilias celebrabant, ex ea faciem sibi lauare potuissent. Quod omnipotens Deus ad hoc demonstrasse putandus est, quòd sanctorum Martyrum absentia, locus, in quo sepulti fuerant, in prædio B. Theodoræ, * captiuus remansit. Quæ quidem aquæ* 21 *emanatio nec antea visa fuerat, nec postea visa fuit; Et deportata sunt in Ecclesiam B. Hippolyti Martyris, quæ est in crypta supra portam ciuitatis eiusdem ædificata.*

*Et dum in ipsam Ecclesiam delata fuissent, nouū ibi miraculum est exortum. Lilia namque, quæ in præfata Ecclesia ex multo tempore iam aruerant, licet tunc frigida hiems esset; mox in ipsorum introitu emiserunt florem, & odorem, sicut & verno tempore, cum Dei omnipotentis nutu & lilia florent, & omnis herba virescit, & pollet. Quod Episcopus, & Comes, & omnes ciues testati sunt se vidisse. Qui quidem Episcopus Crescentianus statim misit suos nuncios ad Lambertum Episcopum * sanctæ Polismartis Ecclesiæ, & Episcopum * S.* 22 *Ecclesiæ Gallesanæ, vt cum honore, hymnis, & Dei* 23 *laudibus ad Ecclesiam gloriosæ Dei genitricis & semper Virg. Mariæ deferrentur. Et conuenientes Episcopi, & Clerici, tota nocte in vigilijs, orationibus, & hymnis Deo vacarunt: quæ insurgente Au-*

stro

ſtro à ſero vſque mane crebris pluuijs inundauit. Mane autem facto cunctis ipſius Ciuitatis collectis habitatoribus vna cum Comite, & coniuge ſua efferentes corpora Sanctorum prælibata, introduxerunt ea in Eccleſiam B. Virginis ſupradictæ; ſed mox, vt eadem corpora Sanctorum de Eccleſia B. Hippolyti ſupraſcripta educta fuiſſent, inundatio pluuiæ ſtetit, & cæli ſerenitas pariter ſequuta. & ſic cum gaudio vnuſquiſque ad propria remeauit, Miſſis primo ſollemniter celebratis.

Sed miro modo aliud enarro miraculum; Quædam puella, quæ erat in ipſa ciuitate, maxima infirmitate detenta, diu noctuque vigilias ducebat, & omnino dormire non poterat; quam parentes eius ad obtinendam ſalutem, ad reliquias eorundem Sanctorum Martyrum perduxerunt: & ita ipſorum Sanctorum meritis incolumis eſt reducta, ac ſi nulla fuiſſet infirmitate detenta.

Aliud etiam miraculum narro. Inuentæ fuerant in tumulis Sanctorum Martyrum marmoreæ tabulæ, niueo candore decoratæ, tanti ponderis, & magnitudinis, vt nec à quatuor paribus boum trahi potuiſſent, quæ ad honorem Dei, & Martyrum prædictorum vni vili pari boum iunctæ tanta celeritate deportatæ ſunt, ac ſi nullum in ſe pondus habuiſſent; qui dum ante præfatam eccleſiam Dei genitricis veniſſent, conuenerunt multi, vt eas in ipſam Eccleſiam introducerent. Vna autem ex his marmoreis tabulis, quæ præ nimia latitudi-

ne ad altare intromitti non poterat, tam ingens erat, vt vix à quindecim viris deferri posset. Columna marmorea, & trabs, quæ erat ante altare, super collum Episcopi, & qui cum eo aderant, cum hac tabula cecidit, sed Domini gratia, nec fracta, nec læsa fuit, nec aliquis aliquam persensit læsionem.

Tunc Crescentianus Episcopus collecto clero, altare B. Genitricis à nouo ex eadem tabula marmorea, & alijs supra scriptis construi fecit: & illam, quam super corpus beati Abundij, & Abundantij inuenit, in superiori parte altaris posuit; aliam, quam supra corpus beatæ Theodoræ adinuenit, ex ea parte, qua consistit presbyter celebrans, constituit. Alias autem alijs partibus ipsius altaris annexuit; & ita per quatuor angulos altare à fundamento ædificauit.

Inuentæ fuerunt etiam in tumulis eorum, structuræ ferri, quæ continebant eorum sepulcra, ex quarum ferro idem D. Episcopus quandam capsulã ligneam nouiter fabricatam circumdari, & astringi fecit: & ibidem sanctas reliquias condidit, ipsamque in idem altare intromisit, ac pariter consecrauit.

Passi sunt autem SS. Martyres XVI. Kalend. Octobris sub Diocletiano, & Maximiano, crudelissimis Imperatoribus: Et eorum sanctæ reliquiæ inuentæ ac delatæ sunt, siue translatæ XII. Kalend. Decembris, sub D. Othone III. Magno Imperatore:

tore: Reconditæ vero sunt à Crescentiano Episcopo in Ecclesiam B. ac semper Virginis, Dei genitricis, Mariæ, Idibus Ianuarij, in octauis Theophaniæ, ad honorem Dei, & Domini nostri Iesu Christi, cui est honor, & gloria, & potestas, & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

ALTE-

ALTERA TRANSLATIO SS. ABVNDII, ET Abundantij.

EX hac proxima narratione constat beatorum martyrum Abũdij,& Abundantij sacra corpora iussu Othonis III. Imperatoris in prædio beatæ Theodoræ, vbi nunc est oppidum Arinianum, inuenta, & Romam delata anno Christi circiter MI. & collocata fuisse in templo, quod in Insula Lycaonia inter duos Pōtes ab eodem Imperatore sancti Adelberti Episc. & mart. nomine ædificatũ, postea Sancti Bartholomæi est appellatum. Quo vero tempore inde transportata fuerint in vetustam SS. Cosmæ, & Damiani ecclesiam, à Felice IIII. summo Pont. anno Christi circiter DXXVI. dedicatam, incertum est; licet tamen suspicari, eam translationem in pontificatum Innocentij secundi incidisse; cuius coniecturæ hæc ratio est.

Petrus, ciuis Romanus, Petri Leonis, à quo Pierleonia familia Romæ manauit, nobilissimi, ac potentissimi viri, filius, primum Diaconus Card. in Diaconia SS. Cosmæ, & Damiani à Paschale ij. deinde sanctæ Mariæ trans Tiberim in titulo Callisti Presbyter Card. à Callisto II. creatus, demũ mortuo Honorio II. in schismate aduersus Innocentium II. eodem die xvj. Kal.

Martias anno ſalutis MCXXX. Imp. Lothario iuniore, illegitimis ſuffragijs renunciatus eſt Pont. max. & Anacletus ij. appellatus; qui (cum Innocentius tempori cedẽs, ambitioſi hominis potentiam, ſeditionemq. declinans, in Etruriam primo, deinde in vlteriorem Galliam cum ſuis legitimis ſuffragatoribus receſſiſſet) Romæ Apoſtolicam cathedram aſtu occupatam, vi, atq. opibus tenuit, quoad vixit, hoc eſt, annis ſeptem, menſibus nouem, diebus decem. Huic præter alia, hoc quoque tribuendum videtur, quod altare in templo Beatæ Mariæ Aræcæli, ſitum ante ſacrarium, & marmoreo ciborio, quod columnis quatuor viridibus maculoſis ſuſtentatur, cõtectum, dedicauerit. Huic enim id adſcribẽdum eſt, nõ autem S. Anacleto, quo Põtifice ſub Domitiano Imperatore, vt Onufrio; vt pleriſq. placet, Traiano Cęſare, in eo loco adhuc Iouis Feretrij fanum erat (quod Romulus fecit, Ancus Marcius auxit, C. Cæſar inſtaurauit: in cuius poſtea ruinis B. Gregorius Magnus Eccleſiã Chriſtiano ritu, & Monachorum cœnobium dicitur exſtruxiſſe) & in altari ligneo propter perſecutiones ſacrificaſſe legimus Chriſtianos ſacerdotes ante tempora B. Sylueſtri, qui, reddita Eccleſiæ pace, primus altare lapideũ cõſecrauit. Itaq. ſi Anacletus hoc altare, de quo agimus, vt dicitur, dedicauit, hunc Petrum Leonis, qui Anacleti ſecundi nomẽ adſumpſit, fuiſſe neceſſe eſt. In quo quidem altari, cum aliorum ſanctorum oſſa,

ossa, tum non nihil etiam ex Abundij, & Abundantij martyrum reliquijs conditum existimatur. In eadem certe Basilica caput S. Abundij presb. & martyris argento tectum religiose asseruatur, & visitur: quod vnum ceteris amborum martyrum ossibus deest, atq. huius Abundij esse, qui cum Abundantio passus est, post docebimus. Fieri ergo potuit, vt hic pseudopapa, cum vellet simul SS. Cosmæ, & Damiani, quam ipse obtinuerat, Diaconiam insigni aliquo munere cohonestare, simul aram illam, quam sollemni ritu sacrare constituisset, horum etiam martyrum reliquijs, & præcipue S. Abundij capite, quod postea in medium prolatum est, exornare: fieri, inquam, potuit, vt sacra corpora ex Insula Tiberina in templum SS. Cosmæ, & Damiani ad forum Romanum per id tempus deportauerit.



Sacra ignota diu, tumulo meliore locamus,
C[illegible]pora, conscendant dum rediuiua polum.

TERTIA TRANSLATIO SS. ABVNDII, ET Abundantij.

EO in tẽplo p annos cõplures ignota iacuerũt vſq; ad Gregorij XIII. Põt. max. annum XI. quo annò cùm arã peruetuſtã, quæ poſteriorẽ templi partem quadratam ingredientibus ſiniſtra conſpicitur, vt Põtificis iuſſu ſacellũ illud inſtaurarent, fabri demolirẽtur: ſubter baſim, quæ aram ſuſtinebat, effoſſi ſunt vi. kal. Auguſti. duo loculi cũ hiſce inſcriptionibus: Hic requieſcit S. Felix Papa, & martyr, qui damnauit Conſtantium hæreticum. &, Hic requieſcũt corpora SS. Martyrum, Marci, & Marcelliani, & Tranquillini Presb. Paucis poſt diebus, hoc eſt, xv. kal. Sept. in ipſo altari lateritio, & concauo, quum tabula marmorea, quæ planam ſuperficiem aræ conſtituebat, remota fuiſſet, reperti ſunt duo alteri loculi, ſacrorum oſſium pleni: atq. in vno quidem ſub cornu Euangelij erat tabella marmorea ſigno crucis, & hoc epitaphio notata † HIC REQVIESCIT SANCTVS HABVNDIVS PBR. ET MONACHVS, ET MART. In altero autem ſub cornu Epiſtolæ, altera item tabella eodem ſigno, atque hoc titulo inſcripta. † HIC REQVIESCIT SANCTVS HABVNDANTIVS DIAC. ET MART. quæ oſſa inde extracta x. kal. Nouemb, atque in-

 arcu-

arculas ligneas transposita, & in sacrarium eiusdem Ecclesiæ pie, ac reuerenter delata sunt. Ex ijs rursus capsulis per Illustriss. ac Reuerendiss. D. Alexandrum Medicem, Archiepisc. Florentinum, nunc S.R.E. in titulo S. Quirici Presbyterum Cardinalē, in loculos plumbeos transmissa VI. kal. Aug. insequētis anni MDLXXXIII. vna cum ijsdē illis marmoreis tabellis, quibus ipsorum martyrū inscriptiones diximus contineri; in vtroq. autē operculo plūbeo inscriptum est sanctorū martyrum nomen: ipsiq. loculi sigillo Illustriss. ac Reuerēdiss. D. Iacobi Card. Sabelli, Pont. max. in vrbe Vicarij per ipsius Notarium sunt obsignati. Eodem die reliquiæ superiorum Martt. Felicis Papæ, Marci, Marcelliani, & Tranquillini Presb. vertente anno ab inuentione, in pristino, sed à fundamētis restituto, sacello, araq. è pario marmore pariter instaurata, reconditæ sunt decenti religione, populiq. frequētia. SS. vero Abundij, & Abundantij ossa, vt in nouā Basilicā Farnesianam Societatis Iesu iam absolutam transferrētur, optimus Pōtifex Gregorius XIII. per litteras apostolicas in hunc modum edixit; Gregorius Papa XIII. Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutē, & apostolicā benedictionē. Ecclesiā Domus professorū societatis Iesu de vrbe structura insigni, & sūptuosa nuper absolutā, corporbus SS. Abundij presbyteri, & Abūdantij Diaconi, sanguinis pro nomine Christi effusione insigniū Martyrum, quæ

in

in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani requiescunt, ornare decreuimus, vt ibi collocata, maiori deuotione, & populi frequētia venerentur. Idcirco per præsentes mādamus, vt prædicta corpora ex ipsa Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani, vbi aliæ Sanctorum reliquiæ, & etiam corpora visitanda remanent, cum plumbeis thecis, in quibus eorū nomina sunt inscripta, educantur, & ad nouam Professorum prædictorū Ecclesiam sanctissimo nomini Iesu dicatam, maiore qua poterit pompa, à Vicario nostro in spiritualibus de vrbe, die Dominico, vel etiam non festo, pro libito suo præscribenda, & ordinanda, deuote transferantur, & recondantur honorificè apud illam; præcipimusque, ac interdicimus superioribus, fratribus, ministris, & personis domus prædictæ Ecclesiæ SS. Cosmæ, & Damiani, ac quibuscunq. aliis, ne eductionem, & translationē prædictas per se, vel per aliū, seu alios, impedire audeāt quoquo modo. Qui secus fecerint, excommunicationis sententiam incurrant eo ipso. Et, vt Christi fideles ad eorundem corporum sanctorum translationem frequentiores, maioreq. deuotionis studio conueniant, omnibus Christi fidelibus ipsis vtriusq. sexus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Eucharistia refectis, qui translationi prædictæ interfuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem misericorditer in domino elargimur. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub

Annulo piscatoris die decima Septembris, M.D.LXXXIII. Pontificatus nostri anno duodecimo. Cæ. Glorierius.

Harum litterarum summa postea de more publicè proposita est, ac promulgata, cum Italice descripta esset, vt verbis breuior, sic temporis spatio plenior, in hanc fere sententiam: Indulgentia à sanctiss. D.N.Greg.XIII.Pont.max. ijs omnibus amplissima conceditur, qui sacra confessione expiati, & suauissimo Christi corpore pasti, pijs à Deo precibus, fidei catholicæ felicitatem, Hæreticorum conuersionem, Principum Christianorum concordiam efflagitauerint, & aut SS. Martyrum Abundij Presb. & Abundantij Diac. corporum translationi, quæ à templo SS. Cosmæ, & Damiani ad Basilicam nominis IESV die Iouis xviii. kal. Octob. hora xix. fiet, religiose interfuerint, aut reliquo eius diei, vel insequẽti luce, quæ ipsorum martyrum cruẽto natali sacra est, alterutrã adierint ædem, aut sabbato, siue Dominico die Ecclesiam Nominis IESV visitarint. Cui hæc facere non licebit, ei confessarius, quod mulctæ visum fuerit, commutandi potestatem habeto: ceteri vero, qui decrerint stato tempore piacularem confessionem, atque communionem obire, septem annorum indulgentiam consequuntor. Ad hæc Idibus septembris, resignatis, apertisq. loculis, extracta est, concessu Põtificis, exigua quædam sanctorum ossium pars, quæ in eo ipso templo

San-

Sanctorum Cosmæ, & Damiani, quasi diuturnæ mansionis, & hospitij testis, ac monumentũ reti neretur. Ea fuerunt sancti Abundij quidem inte gra tibia, & quatuor ossicula, sancti vero Abundantij totum brachium. Clausi rursus, & obsignati loculi, reconditiq. in arcam ligneam purpurea bombyce intus, extraq. contectam, & binis clauibus obseratam, atque munitam: quæ die Iouis, xvij. kal. Octob. è sacrario elata est, feretroq. imposita, & super aram maximam collocata, textili stragulo ex auro, sericoq. coccineo superiniecto, lacinijs intersectis, & fimbriatis, circumcirca dependentibus: atque in vtroq. latere, & in fronte, & à tergo affixis amborum martyrum imaginibus, quæ in Tirio bõbycino expressæ coloribus erant: altera cum sacerdotali chlamyde cærulea, altera cũ dalmatica ostrina; vtraq. codicem Euangelij dextra manu, palma sinistra tenebat. Interea trãslationis causa sedulo põpa, & apparatus instruitur: & clerus, ac sacra collegia, familiæq. coguntur; Templum aulæis vndique stratum magna virorum, mulierumq. frequentia, ob sanctarum reliquarum cultum, & expiationis studium celebratur. Cum omnes iam ordines in Forum Romanum, Foroq. proxima templa, & loca, vti præceptum fuerat, conuenissent; Reuerendiss. Vicentio Portico, Archiepisc. Ragusino, qui Illustriss. Card. Sabelli Vicarij in vrbe vices gerit, adnuente, agmen, pompaq. cœpit à summo foro ad carcerẽ

Tullianũ procedere: inde ad Macellum coruorum, areamq. S. Marci, tum ad B. Mariæ in Via lata: inde paruo ad læuam flexu, ad nouum Gregoriani Gymnasij ædificiũ, atq; ad Arcũ Camilli vẽtum est: hinc ad Prædicatorum plateam, ex qua ad Mafæios, Capisucchiosq. processum; inde demum ad nouam Basilicã Societatis IESV peruentum. Antecedebãt primo loco pueri Catechumeni, deinde Orphani, tum sacrorum hominũ familiæ, ordinesq. xxiij. singuli prætentis crucibus, ecclesiasticos hymnos, psalmosq. cantantes. subsequebantur cum albis funalibus Romani Seminarij C. conuictores cum totidem ferme Academicis Parthenianis; quorum vtriq. Societatis IESV scholas frequentant: illi domestica etiam institutione ad virtutem erudiuntur. His iuncti erant collegiorum, quæ eiusdem Societatis fidei, ac disciplinæ commissa sunt, alumni, Anglicani primo lxxx. deinde Germanici ad centum, vtrique in linteis tunicis, cum funalibus, & choro Musicorum, qui nunc communes martyrum hymnos, nunc proprias in sanctos Abundium, & Abundantium odas suauiter cõcinebant. Hos proximi sequebantur Romani seminarij alumni, seu clerici L. cum funalibus, linteis super ianthinis togis induti, cum suo itidem choro. Post incedebãt Parochi, tum minorum XI. Ecclesiarum custodes, atque Canonici. Succedebant sodalicia sacerdotum, & clericorum sanctæ Mariæ Transtiberinæ, sanctiq. Lauren-

rentij in Damaso cum sua cruce, vexillo, tintinnabulo, & symphonia. Hos trium Patriarchaliũ Basilicarum, Liberianæ, Vaticanæ, Lateranensis, collegia, & quidem linteata, vt cetera, & cum albis funalibus, sequebantur: Quorum singula sui vexilliferi, codonophori, cruciferi, symphoniaci præcedebant. post aderat Vincentius Porticus Vices gerens cum aliquot insignibus viris, Antistitibus, & Illustriss. Card. Vicarij administris: reliqui præterea Germanici collegij (quod Hungaricũ etiam complectitur) clerici eodem habitu, quo superiores, cum frequenti choro cantorum: deinde tubicines Capitolini, certis passuum interuallis ad lætitiam, & religionem excitandam canebant. Secũdum hos proximus feretro locus fuit xl. sacerdotibus Societatis IESV, qui aureis, sericisq. casulis amicti purpureis, per vices certis locis pio oneri humeros supponerent. Hi enim sacras reliquias deni sub aurea vmbella deferebant: ad quam gestandã Magistratus Populi Romani, & primariæ nobilitatis homines honori simul, & labori identidem succedebant. Argentea thuribula bina cũ acerris ante feretrum, totidem post accenso thure, circum vero centena funalia à sacerdotibus, & clericis collegij societatis IESV, linteatis ferebantur. Hos item quinquageni Heluetij ex Pontificis prætorianis cingebant: qui non modo tantæ pompæ præsidio ad submouendam turbam, sed ornamẽto etiã ad sacrorum corporum

digni-

dignitatem esse videretur. Nouissimum agmen clausere RR. Archiepisc.& episc. in ijsq. Episc. Assaphen. Anglus, Illustriss. Card. Vicarij suffraganeus, mitratus in pluuiali pallio auro, argento, purpureoq. serico intertexto: similique dalmatica induti eius Diaconus, & Hypodiaconus basilicæ Liberianæ ministri: postremo Illustriss. almæ vrbis Senator, Conss. ac ceteri Magistratus, nobilesq. Romani. Sublato igitur ex ara maxima à x. Presbb. feretro, inchoante R. Episc. suffraganeo ex lib. Rituali Antiphonam, Surgite sancti Dei, & choro symphoniaco prosequente; vbi ad templi gradus, & vmbellā, quæ pro foribus parata erat, ventum est: bombardæ xx. venerationis simul, & lætitiæ causa displodi, forumq. clangore tubarū personare: quod quidem factum est etiam cum sacræ reliquiæ Basilicam nominis IESV attigerunt. Porro vt Sacerdotes deni ijdem primi, & postremi portitores feretri, sic iidem Capitolini Magistratus, regionūmque Præfecti, primo, & postremo loco, vmbellæ gestatores fuerunt. Et quemadmodum Forum Romanum, ita viam omnem, qua sancti martyres præferebantur, ingēs multitudo complerat; domorum parietes hinc inde aulaeis erant conuestiti: fenestræ spectantium feminarum refertæ. Equidem ad vitandum tumultum, qui ferè in populi, & infimæ plebis cōcursu accidere solet, præsertim cum minus longo tractu pompa ducitur, & breuitas viæ non omnes ad spe-

ſpectandum admittit, de induſtria factum eſt, vt neque opificum collegia, neque ſodalicia nationum, neque honeſtorum hominum ſocietates, quæ ſunt in vrbe complures, conuocarētur, & dies profeſtus celebritati diceretur. Nihilominus tamen ſiue rei inſolentia, ſiue ſpectaculi fama, ſiue pietatis, ac piacularis indulgētiæ ſtudium magnam partē ciuitatis exciuit. Ipſe certè ſacri feretri primus aſpectus mirifica quadā religione homines, lacrymiſq. perfudit. Id vero intra limina Baſilicæ Farneſianæ illatum, ſuauiſſima cornicinum, tubicinumque è ſuperiori loco canentium harmonia exceptum eſt, ſtatimq. aræ ligneæ, quæ medio in templo ſub hemiſpherio excitata, aureoq. pallio circumtecta erat, impoſitum: circum in quatuor angulis aurata candelabra ingentia quatuor, in ſingulis lateribus minora ſena, partim argentea, partim ex inferiori materia, faces ardentes illo quatriduo ſuſtinebant. Templum quoque magna ex parte bombycinis erat, & ſericis damaſcenis, heteromalliſq. ſiue holoſericis ac villoſis periſtromatis adornatum. Iam diei hora circiter xxij. omnia diſpoſita cū eſſent, & inter altare maximū, āramq. ſanctarum reliquiarum alternātes chori, quos tria ſimul collegia, Anglicanū, Germanicum, Seminariumque Romanum efficiebant, certo ordine cōſediſſent, præeunte Epiſc. ſuffraganeo veſperæ inchoantur, quæ iucunda cantorum ſymphonia, conſueto ritu cærimoniarum,

de-

decenti miniſtrorum grauitate, egregia omniũ religione in ſerum protractæ ſunt. Poſtero die ipſorum martyrum natali, eodem concentu, eodem operante Antiſtite, ijſdemq. ſacerdotibus, & clericis miniſtrantibus, ſacrum ſollemne factũ, & veſperæ celebratæ. Idẽ Sabbato, Dominicoq. die ſeruatum: templumq. per totũ triduũ frequentẽ habuit turbã, frequentiorem tamen Dominico die, circumforaneis videlicet opificibus feriatis, & ad Iubileũ promerendũ, ſacraſq. reliquias venerandas confluẽtibus. Quapropter per occaſionẽ tã amplæ indulgentiæ adipiſcendæ, horũ quoque beatiſſimorum martyrum ſuffragatione adiuuãte, permulti peccata rite confeſſi, ad ſalutarẽ Euchariſtiæ menſam acceſſere, ſuam inſuper erga illos religionẽ ac pietatẽ modo Roſariorũ, ſeu coronarũ ad ſacrum feretrũ admotione, modo, quod rarius eſt, lacrymarum profuſione teſtati. Neque poſtea defuerunt, qui, eorundem ope implorata Sanctorum, ſe morbo leuatos profiterentur. Atque hic omnis generis hominũ concurſus diutius ſine dubio tenuiſſet, niſi iam elapſo quatriduo, ſanctæ reliquiæ poſt primàm noctis horam è templo ſublatæ, ſuperque altare ſacrarij fuiſſent depoſitæ, ibi tantiſper manſuræ, dum & ipſa Baſilica, & ara maxima, quæ magnificis operibus exſtructa, & iam abſoluta eſt, cõſecretur ac dedicetur, vbi demũ, quo docet, honore ac dignitate, parato ſarcophago è punico rubenti marmore incluſæ, condantur.

tur. Eam verò dedicationem breui futuram cō-
fidimus, exacto iam ſextodecimo anno ab ip-
ſius templi primordio. Die ſiquidem beatiſsi.
Martyribus Ioanni, & Paulo ſacro, M. D.
LXVIII. iacta ſunt fundamenta, præſente
Card. Farneſio, per Othonem Truchſem, Card.
Auguſtanum, epiſc. Albanenſem demiſſo pri-
mo lapide, in quo nomen IESV inciſum erat
cum hoc titulo, Alexander Farneſius Card.
Vicecancell. Aedis huius, quam nomini Ieſu uo-
uit, primum hunc lapidem ſollemni ritu con-
ſecratum in fundamenta coniecit vj. kal. Iul.
M. D. LXVIII. Interea, dum in ſacrario ſacra
oſſa ſeruantur, ex ijs non nihil deſumptum eſt,
& in Iaponē, noui orbis regionē, ad neophyto-
rum alendā confirmadamq. in chriſtiana pieta-
te conſtantiā tranſmiſſum: & poſtea Senenſium
ſanctimonialium, quæ templum, cœnobiumq.
horū SS. martyrum incolūt, rogatu ac precibus,
ſummiq. Pont. conceſſu, ex ijſdē loculis, recluſa
arca, præſente Notario, Nonis Maij an. Domini
M. D. XXCIIII. deſumpta ſunt alia oſſicula
duo, hoc eſt, particula brachij S. Abūdij, & frag-
mentum maxillæ S. Abundantij, traditaque ibi
Reuerendiſs. D. Franciſco Band. Piccolomineo
Archiepiſc. Senenſi, qui ea Senas ſimul ad ipſo-
rum SS. martt. eccleſiæ ornamentum, ſimul ad
earum Monialium, aliorumq. Fidelium augen-
dā erga Sanctos pietatē ac religionem, tranſpor-
tāda curaret: id quod sūma fide ac ſtudio cura-
tū accepimus, exceptaq. à Senēſibus oſſa ingen-
ti re-

ti religione, ac pompa. Hæc de tertia ſanctorum martyrũ tranſlatione, quam plenius, & vberius Iacobus Butius, Lateranenſis baſilicæ presb. & Card. Vicarij notari⁹, qui rebus omnibus interfuit, minutiſſima quæq. perſequẽdo, cõſcripſit, ad Domini noſtri gloriã, Martyrumq. eius memoriã ſempiternã. Nos breuitatẽ ſecuti ſumus, quo lector minus curioſus ad hæc cognoſcenda facilius duceretur. In trãsferendis autẽ Sanctorũ reliquijs, qui ritus olim in eccleſia catholica ſeruatus ſit, S. Hieronymus lib. aduerſus Vigilantiũ, & S. Chryſoſtomus lib. de S. Babyla cõtra Gentes, oſtẽdũt. Ex quibus, & Martyrologiis cognoſci licet, vt Inuentiones, ſic & Tranſlationes Sãctorũ pio cultu, & anniuerſaria ſollemnitate celebrari cõſueuiſſe. De ijs Alanus Copus, & Panuinius. Nunc quæ in martyrij, primæque Inuentionis, & Trãſlationis SS. Abũdij, & Abũdãtij ſuperius exſcriptã narrationẽ notauimus, breuiter adſcribem⁹; quæ, ſi cui nimis multa videbũtur, is q̃ volet, perlegat, reliqua impune licebit omittere. Nos certe neque doctiſſimis, qui docere nos poſſunt, neq. plane rudibus, qui nihil intelligũt, ea edimus: ſed illis dumtaxat ſtudemus cõſulere, qui, cum in alijs præclaris artibus feliciter elaborarint, hanc tamen eruditionis, atq. humanitatis partem, quæ in ſacræ antiquitatis memoria, rerumq. Eccleſiaſticarũ monumentis verſatur, nihil admodum attigerunt. Iis potiſſimum hãc noſtram operã, vt non inutilem, ita pergratam futuram ſperamus.

NOTAE

Ad Martyrij, primæque Inuentionis, ac Translationis historiam.

TEMPORIBVS *Diocletiani, & Maximiani Imperatorum.*] Diocletianus Anulini Senatoris libertinus, siue, vt alij volunt, patre libertino, vel scriba, oppido Dalmatiæ Dioclea prope Salonas, matre item Dioclea, obscurissimis parentibus natus, vnde ante imperium Diocles appellatus est, postea Imperator electus, græco nomine in Romanum morem inflexo, se C. Aurelium Valerium Diocletianum voluit nuncupari, Numeriano Imp. insidiis Arrij Apri soceri sui, Prætorioq; Præfecti in Persidis finibus occiso, in eius locum ab exercitu victore è Perside redeunte, xi. Kal. Maias in Syria ex Præposito Domesticorum, Augustus creatus Anno salutis humanæ CCLXXXIIII. siue CCXXCVII. imperauit ann. xx. Rusticorum in Gallijs coorto tumultu, M. Aurelium Valerium Maximianum, Syrmij in Pannonia agrestibus ortum parentibus, veterem in militia socium, Cæsarem creat, & insequenti anno, qui fuit à partu Virginis CCXXCVI. siue CCXXCVIIII. vrgētibus

vndique bellis, xi. Kal. Maias Auguſtũ appellat. Imperant ambo ſimul annis xviii. quo tempore adeo ſæuitum eſt in Eccleſiã Dei, vt hæc Diocletiana perſecutio priores omnes, quæ à cæde B. Stephani protomartyris, x. numeratur, & immanitate, & diuturnitate lõge ſuperarit: quippe quę eius Imperii anno ſiue xi. ſiue xvii. ſiue, vt aliis placuit, xix. excitata, & per conſequẽtes Imperatores Maximinũ, Maxẽtium, Liciniũ continuata, vix tandem vii. Conſtantini Magni, Chriſti autẽ CCCXII. anno ſedata ſit, & extincta: cũ Tiberinis gurgitibus ſubmerſo Maxentio, victoriã adeptus Imperator, & in rem Chriſtianã optime animatus, fideles vexatione liberat, exules reuocat, Eccleſias euerſas reſtituit, ceteraq; Chriſtiani Principis præſtat officia. Totam porro huius perſecutionis hiſtoriam ſcripſit Euſebius Cæſarienſis lib. viii. & viiii. hiſt. Eccl. Oroſius lib. vii. cap. xxxv. Zonaras Tom. II. Annal. Simeo Metaphraſtes, Nicephorus lib. vii. cap. iii. & ſequentibus vſque ad xvii. Georgius Cedrenus, Paulus Diaconus, & alii. Meminit item B. Auguſtinus lib. de Ciuit. Dei xviii. cap. lii.

Hic Tyrannus quamuis iã inde ab initio Imperii ſui ſtatuiſſet Chriſtianũ nomen delere: bellicas tamẽ occupationibus implicatus, inteſtinũ, & vehemẽs in homines Chriſtianos odiũ multis annis diſſimulauit, ac texit. Illis deinde curis expeditus, & liber, in eam vnam cogitationem incubuit rei Chriſtianæ, quæ tum longe la-

teque

teque propagata erat, euertendæ, funditusque tollendæ. Ad quam quidem rem conficiendam idoneos suæ impietatis, & crudelitatis cōparat administros; in primisq; Maximianum, vt diximus, Imperii consortem adsciscit. Primo igitur sensim, & clandestinis consiliis, & quasi secretis cuniculis Ecclesiā Christi adortus est, eosq; dumtaxat fideles, qui in exercitibus erant, pertentat, vt vel honoris spe, vel ignominiæ metu permotos à Christi cultu abalienet: vbi id parū processit, alterā viam ingressus, palam, & aperto marte rem Christianā vniuersam oppugnat. Itaque scelere, & furore inflammatus, vt iram, quam diu cōtinuerat, in Christi fideles euomeret, atrocissimum promulgauit edictum, quo Christiani homines nō solum metu, ac terrore, sed vi etiam ad impia Idolorū sacrificia adigi iubebantur. Decimo nono autem Imperii anno, mense Martio, circa Paschales ferias illud vbiq; terrarū edixit, vt Christianorum Ecclesiæ solo æquarentur, Magistratus in ordinem per contumeliam redigerentur; seruis ad libertatē aditus intercluderētur, &, quod est omniūacerbissimū, Christianæ fidei libri, atq; Ecclesiastici codices inflammarētur: quod facere cū recusarent, dici nō potest, quam multi cum alibi, tū Romæ præcipue, & in Græcia, atque Africa sint interfecti. Nec multo post, alia non minus nefaria exstiterunt edicta, vt omnes, vbiuis gentium, Episcopi, & sacerdotes vincirētur, & Dijs sacrificare recu-

ſantes trucidarentur. Harũ legum impietatẽ nõ ferens quidam Christianus, nomine Ioannes, in ipſius Imperatoris familia princeps, edictũ Nicomediæ aduerſus Eccleſias propoſitum, inſpectãtibus omnibus, abſtulit, & conſcidit: paratus videlicet forti, & libenti animo ob Christi causã eas perpeti pœnas, quas ſe ſubiturũ intelligebat. Noua, & inuſitata ſuppliciorũ genera excogitabantur ab infenſiſſimis fidei aduerſariis, qui cõtenti non erant innocentium cæde: ſed, vti cum quàm maximo doloris ſenſu morerentur, ſtudebant. Cædis cauſæ præter religionem cum aliæ quærerentur, neque tamen honestæ inuenirentur, fictæ, & commentitiæ per ſummam calumniam & criminationem proferebantur. Etenim accidit neſcio quo modo Nicomediæ per eos dies, vt Imperatorii Palatij pars quædã incendio conflagraret: cuius incendii cum falſa ſuſpicione Christiani auctores inſimularentur, Imperatoris iuſſu quotquot in ea vrbe reperti ſunt, omnes vna cum Anthimo Epiſcopo ferro, flammis, mariniſq; vorticibus martyriũ obiere. In Arabia, & Syria aduerſus Romanum Imperium aliqui coniurarunt: ſtatim velut eius coniurationis affines cuncti vbique Eccleſiarum Præſides Imperatoris edicto in vincula coniecti ſunt. Cumq; innumeri, tanquam perduellionis rei, in carcerem truderentur, factum eſt, vt maleficis, facinoroſis, & ſceleratis hominibus comparatæ custodiæ, Epiſcopis, Presbyteris, ceteriſque

risque viris Ecclesiasticis complerentur. Ad hæc, quoniam carceres, & ergastula Christianorum numerum capere non poterant: vt genus vniuersum deleretur, legem tulit, vt omnes cuiusuis ordinis, condicionis, ætatis, qui ab Idolorum cultu abhorrerent, variis excruciati suppliciis necarentur. Hac lege promulgata, difficile dictu est, quantam fidelium multitudinem absumpserit efferata crudelitas: cum præter eos, qui vel in insulas deportati, vel ad metalla damnati sunt, decem & septem millia Christianorum diuersis in Prouinciis vno mense pro Christo variis cruciatibus interierint. Præterea Maximianus, cum re bene gesta ex bello Aethiopico Nicomediam reuertisset, victoriæ celebritatem indixit. Quapropter cum passim Diis sacrificaretur, & solos Christianos Natalicia Christi cum summa lætitia celebrare cognouisset, mandauit, vt Ecclesia illa, quo Christianorum coetus conuenerat, sarmentis circumdata inflammaretur. Commodum Episcopus mysteria sacra confecerat, cum subiecto igni viginti millia hominum concremata, martyrii palmam tulerunt, ut ex Græcis monumentis Galesinius refert. Neque id immanissimo Tyranno satis fuit: alios etiam Christianos omnes, qui ea in vrbe versabantur, iussit occidi. In iis Gorgonius, Petrus, Xenon, Dorotheus, Mygdonius, Glycerius presbyteri, & Theophilus nominantur. Ibidem alias cum Aprili, Ceruolo, Tro-

phimo, Eucarpione decem millia Christianorũ acriter pro fide certantium ceciderunt. Eodem nomine, ac prætextu in Phrygia Vrbs quædam Christianorum obsessa, tandem hostili tota conflagrauit incendio: cum sancti Adauci, hominis Itali, tum Quæsturam gerentis, egregiam in Christi confessione constantiam omnis populus, volens ac libens secutus, cum mulieribus viri, cum pueris senes, cum ciuibus ciues iniecto igne comburuntur. Sed quæ toto terrarum orbe Prouincia, aut etiam Vrbs paulo celebrior tunc fuit, quam non huius persecutionis tempestas afflixerit? in qua non exstent Diocletianæ crudelitatis impressa vestigia? quã denique fortissimorum Martyrum profusus tunc pro Christiana religione sanguis nõ cruentarit, & illustrarit? Etenim Nicomediæ præter illam multitudinem, quam modo memorauimus, ad tria millia seruorum suos dominos imitati, & cum liberis, & vxoribus, propinquisque in ipsius Diocletiani conspectu libera voce, vnoque ore se Christianos esse professi, à militibus fuerunt omnes occidione occisi. Per eadem tempora in eadem Vrbe innumeri Christiani partim incendio, partim securi tolluntur, quorum princeps Eleutherius vi tormentorum robustior, & alacrior ad tolerantiam factus, martyrii cursum igne confecit. Tyri in Phœnicia milites innumerabiles iussu Imperatoris à Veturio militiæ Magistro variis, exquisitisq;

crucia-

cruciatibus torti, cum feris obiecti, nihil ab iis læderentur, ferro, flammis, inedia confecti, pro Christo constanter occumbunt: eorum duces Dorotheus, Tyrannio, Syluanus, Peleus, Nilus, Episcopi, & Zenobius presbyter exstitere. In Aegypto vna cum Iuliano Episcopo, & Ioanne Diacono quinque millia Christianorum pro fide mactantur. In eiusdem Prouinciæ vrbe, quæ Thmuis vocatur, cum Philea Episcopo, & Philoromo Tribuno, infinita multitudo fidelium interficitur. In eadem rursus Prouincia cum Marco, & Marciano innumerabiles item fideles pro Christiana confessione varie cruciati demum igni, cruce, gladio, marinisq; gurgitibus obiere martyrium. Romæ vno die triginta millia martyrum (nisi forte, tria millia, legendum sit) perimuntur. Seduni in Gallia, Mauricius cũ tota legione Thebaeorum, hoc est, cũ sex millibus sexcentis, sexaginta sex sociis contrucidatur, in quibus hi etiam nominantur, Cyrus, Ioannes, Chrysogonus, Cucufates, Cyriacus, Felix, Fortunatus, Achilleus, Antoninus, Exuperius, Candidus, Victor, Vrsus, atq; alii, qui suo loco commemorabuntur. Cæsaraugustæ in Hispania innumerabiles Christiani pro fidei causa pugnantes, confutata Daciani Præsidis petulantia, contrucidati, combustique sunt.

Videtur autem operæpretium ex infinito numero, paucos, qui nominatim in probatis Martyrum codicibus recitantur, breuiter recensere;

atque ab hac ipsa Vrbe incipere; quę, vt Imperii sedes, sic etiam Christianæ fidei, ex quo eam suscepit, semper domicilium atque arx fuit; ob eamq; causam plures habuit diuinæ veritatis propugnatores, qui sanguine profuso præclarũ religionis Christianæ testimonium in omnem æternitatem perhibuerunt. Hæc enim Vrbis triumphatricis, ac terrarum reginæ laus omnium præstantissima est. Quanto autem beatissimorum martyrum numero nobilitata sit, cum veteres historiæ, cœmeteria, cryptæ, vięq; ostendunt, quæ ex illorum cruore, ac tumulis longe maius, quàm ab auctorum nomine decus, & ornamentum sunt consecutæ; tum sanctus Leo sermone 1. de natali Apost. testatur his verbis: Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; & semper dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Vnde duo ista præclara germina seminis in quantam sobolem germinarint, beatorum millia Martyrum protestantur: qui apostolicorũ æmuli triumphorum, vrbem nostram purpuratis, & longe lateque rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto vno diademate coronarunt. Quare sacras reliquias hinc peti consueuisse B. Gregorius lib. iii. epist. xxx. docet. His igitur duobus acerrimis, & infestissimis Christiani nominis aduersariis Ecclesiam Dei, vt dictum est, oppugnantibus, pro constanti

Christianæ

Christianæ fidei defensione, Romæ gloriosam pugnam ingressi, insignem martyrii palmam tulerunt Felix presb. Cyrus, & Ioannes; Tranquillinus presb. Gabinus presb. Alexander, Abundianus, Antigonus, & Fortunatus; Celerius, Pupilus, Claudianus, Iustus, Macharius, Nicephorus, Cyriacus, Largus, Sisinius, Smaragdus, & socii xxx. Agape, Chionia, & Irenia virgines: Caius, & Marcellinus, Pontt. cũ Claudio, Cyrino, & Antonino: item Anolinus custodiæ Præfectus, Artemius cum Candida coniuge, & Paulina filia: Zoe, Tranquillinus, Nicostratus, Claudius, Castorius, Victorinus, Symphorianus, Susanna Gabini filia, Serena Augusta, Diocletiani vxor, à S. Cyriaco mart. conuersa, Ioannes, & Crispus presbb. Genesius, Lucia vidua Romana, Geminianus, Sergius & Bacchus, Hedystius, Euagrius, Priscianus: item Valentinus, Solutor, Victor, Rufus cum tota familia, Saturninus, & Sisinnius, Pontianus, Prætextatus, & Tarson: item Maxima virgo, & Ansanus, Epigmenius presb. Flauianus, Callistratus cum CXXCIV. militibus. Præterea

Via Flaminia Abundius presb. Abundantius, diac. & Marcianus cum Ioanne filio.

Via Salaria Apronianus, martyres item CCLXII. ad cliuum Cucumeris sepulti: & ibidem martyres xxiii. vna cum sanctis Abundio & Abundantio comprehensi,

Via Nomentana Hagne nobilissima virgo,

Emerentiana

Emerentiana itidem virgo, Papias, & Maurus milites. item Primus, & Felicianus fratres quorum corpora postea in Montem Cæliũ translata sunt.

Via Lauicana Tiburtius, Marcellinus presb. & Petrus exorcista. item Seuerus, Seuerianus, Carpophorus, Victorinus fratres: item maryres xxx. vno die inter duas lauros coronati.

Via Appia eodem die triginta milites, Sebastianus item miles.

Via Ardeatina Marcus, & Marcellianus fratres.

Via Ostiensi Felix, & Adauctus.

Via Aurelia Pancratius puer xiiii. annorum, item Basilides, Cyrinus, Nabor, & Nazarius Romani milites.

In Italia, apud Venafrum, Nicander, & Marcianus.

Puteolis Ianuarius Episcopus Beneuentanus, Sosius, & Festus Diaconi, Desiderius lector; Eutyches, Acacius, Proculus, Stephanus.

Ferentini Ambrosius centurio.

Beneuenti xii. fratres martyres Donatus, Felix, Acontius, Honoratus, Fortunatus, Sauinianus, Septimius, Ianuarius, alter Felix, Vitalis, Satyrus, & Repositus.

Venusiæ in Apulia duodecim etiam germani fratres.

In Campania Erasmus Episcopus, quem

CCCXXX. ab ipſo ad Chriſtum traducti fortiter poſtridie dimicantes ſunt conſecuti item Dominica virgo.

Oſtiæ Maximus, Claudius, Primus, & Prædigna cum binis liberis.

Ameriæ in Vmbria Firmina virgo.

In Etruria ad Vada Volaterrana Attinia, & Græciniana matronæ,

Senis Anſanus.

Viterbii Valentinus presb. & Hilarius Diaconus.

Bononiæ Vitalis, & Agricola, Hermes, Aggæus, & Caius.

Spoleti Felix Epiſcopus, Carpophorus presb. & Abundius Diaconus, item Gregorius presb. Sabinus Epiſcopus, Exuperantius, & Marcellus Diaconi, Venuſtianus item cum vxore, ac liberis.

Rauennæ Hedyſtius: item Valentinus, Felicianus, Victorinus, Solutor, & Victor.

Arimini Innocentia virgo.

Laude Pompeia Nabor, & Felix.

Nouocomi Carpophorus, & Fidelis.

Bergomi Domnio, & Aſteria virgo.

Veronæ Firmus, & Ruſticus ciues Bergomenſes, item Caſſius, Florentius cum aliis ſeptem.

Apud Parmam Domninus.

Tergeſti Iuſtus.

Aquileiæ Cantius, Cantianus, & Cantianilla germani

germani fratres, in Anicia familia nati, vna cum Proto pædagogo, martyrium obeunt, item Fortunatus, & Felix, germani fratres; & Chrysogonus.

In Sicilia martyres septuagintanouem, præterea Vitus, Modestus, & Crescentia, Catanæ Euplus Diaconus, Syracusis Lucia virgo.

In Sardinia Luxorius, Cisellus, & Camerinus. Calari Saturninus, & Ephisius.

In Insula Palmaria Anastasia cum viris CC. & mulieribus D.

In Gallia ad flumen Rhodanum cum beato Defendente complures milites, Apud Suessiones Rufinus, Valerius, seu Valerianus, & socii, item Crispinus, & Crispinianus. In finibus Rhemorum Macra virgo. Carnuti Donatianus, & Rogatianus. Ebreduni Vincentius, Victor, & Horontius. Seduni Victor, Massiliæ Hermes Leo, Hadrianus, Victor cum Sociis Alexandro, Feliciano, Longino, Deuterio. Apud Bituriges Laurianus. Viennæ Ferreolus Tribunus. Arelate Genesius. Apud Veromanduos Quintinus. In Aruernis Iulianus. In Pago Tigurino Felix, & Regula sorores. Agenni in Aquitania Felix virgo, & Caprasius, item Vincentius Leuita, Apud Lugdunum Benedicta virgo. Ambiani Iustus puer, nouem annos natus, & Firminus Episcopus, In Agathensi Diœcesi Tiberius, Modestus, & Florentia. Pictauis Victorinus Episcopus.

Coloniæ,

Coloniæ Gereon, & alii CCCXIIX. Item Victor, & alii CCCXXX.

Treueris, Agape virgo, itē Palmatius, & socii.

Maguntiæ Albanus.

In Legione Augusta Britanniæ vrbe Iulius, & Aaron.

In Hispania Iustus, & Rufinus, item Paula virgo.

Cordubæ Faustus, Ianuarius, & Martialis. Ascyclus, siue Acysclus, & Victoria.

Valentiæ Vincentius Diaconus.

Toleti Leocadia virgo.

Barcinone Eulalia Virgo Barcinonensis, & Cucufates.

Gerundæ Felix.

Hispali Iusta, & Rufina.

Compluti Iustus, & Pastor, germani fratres.

Emeritæ Lucretia Virgo, Eulalia Emeritensis & Iulia item virgines.

Cæsaraugustæ Optatus, Lupercus, Successus, Martialis, Vrbanus, Iulius, Quintilianus, Publius, Fronto, Felix, Caecilianus, Euentius, Primitiuus, Apodomus, Ianuarius, Cassianus, Faustus, Maturinus.

In vrbe Astiagēsi Crispianus, siue Crispinus Episcopus.

In Lusitania Mancius ciuis Romanus. Vlixipone Verissimus cū Maxima, & Iulia sororibus.

In Mauritania Cæsariensi Timotheus, Pollius, Eutychius diaconus, Marciana virgo. item

Gerion

Gerion, ſeu Geron, cum ſociis CCCLX.

In Africa Criſpina virgo, Ianuarius presb. Fortunatianus, & Septimius lectores.

Carthagine Candida virgo.

In Aegypto Dioſcorus lector, Marcianus, Nicander, Apollonius.

Alexandriæ Cyrus, Ioannes, item alter Ioannes, Aſpaſia mater, & tres filiæ virgines: item Theodora virgo, Didymus, Apollonius cum ſociis: item Nemeſius, Euthymius Diaconus, Ioannes, Petrus Epiſcopus Alexandrinus vna cum Fauſto presbytero Didio, & Ammonio, & aliis DCLX. item Apollonius, & Philemon, & ſocii quatuor. item Phileas, Heſychius, Pacomius, Theodorus Epiſcopi, & cum ipſis alii innumerabiles, item Anicetus, & Photinus fratres cum multis ſociis, tam mulieribus, quam viris.

In Thebaide, quæ Aegypti regio eſt, in Aethiopiam vergens, Alexander & Conſtans.

In Vrbe Antinoo Hadrianus, Theotychus, & ſocii tres, Hermopoli Sabinus.

In Palæſtina Aquilina virgo xv. annorum.

In Phenneſo, ſiue, vt Euſeb. lib. viii. cap. xiiii. & Vſuardus, & Beda ſcribunt, in Metallo Fanenſi xl. ſimul martyres. item Nilus, & Peleus Epiſcopi, Elias, & Pamphilus cũ clericis ac ſociis centum; quorum L. Aegyptii, reliqui Palæſtini erãt.

Gazæ Syluanus Epiſcopus cũ multis clericis.

Cæſareæ Amphianus, Pamphilus presb. Valens, Paulus, Seleucus, Porphyrius, Theodulus,

Iulianus

Iulianus cum sociis quinque: Procopius, Theodosia virgo, Agapius, itē Timolaus, Dionysius, Romulus hypodiaconus, Pausides, Alexander Aegyptius, Alexander Gazensis, & alter Dionysius.

Emissæ in Phœnicia Siluanus Episc.

In Syria, Antiochiæ Hadrianus, Theotychus cum tribus sociis; Margarita virgo, Lucianus presb. item Quiricus, & Iulita mater, & alii CCCCIIII. Romanus, Iulianus Basilissæ virginis coniux cum Antonio presb. Anastasio, & Celso puero, eiusque matre Marcionilla, & septem fratribus, aliisque compluribus.

Edessæ Gurias, & Samonas.

Antiochiæ in Pisidia Marcus, & Stephanus, aliique permulti.

Apamiæ Mauritius, & lxx. milites.

In Cilicia Zosimus, Athanasius commentariensis, Theopemptus, & Theonas.

Tarsi, xx. martyres: item Pelagia virgo, Tharancus, Probus, & Andronicus: item Bonifacius ciuis Romanus, Cyriena, & Iuliana.

Aegeæ Cosmas, & Damianus cum fratribus Anthimo, Leontio, & Euprepio.

In Pamphylia nouem martyres simul, Leontinus, Attus, Alexander, Cindeus, Mnesitheus, Cyriacus, Menæus, Catunus, & Eucleus.

In vrbe Aminso, siue Amiso, aliàs Amasia Paphlagoniæ, siue Ponti, septem sanctissimæ mulieres Alexandra, Claudia, Euphrasia, Matro-

na, Iuliana, Euphemia, & Theodoſia; item Derphuta cum ſorore.

In Meſopotamia Febronia virgo, Adauctus ciuis Epheſinus, Athenodorus.

Apud Melitenen, ſeu Melitinam Armeniæ, vel Cappadociæ vrbem, Eudoxius Tribunus militaris cum militibus ſocijs, item Irenes, Nicander cum aliis triginta.

Laodiceæ in Aſia Trophimus, & Thallus: itē ad Tauri mōtis anguſtias Andreas Magnus, dux militaris cum ſociis, qui bis mille quingenti nonaginta ſeptem fuere.

In Doroſtoro vrbe, Daſius

Cotyæi in Phrygia Mennas.

In Inſula Tenedo Abudemius.

In Cappadocia Capetolena, & Eretoula, ſiue Eretoida, eius ſerua: Georgius, Oreſtes.

Sebaſtiæ, Athenogenes Epiſc. Herenarchus, & Acacius Presb. Blaſius Epiſcopus cū duobus pueris; mulieres præterea ſeptē, quæ martyris eius cruorem collegerant.

Amaſeæ Theodorus

Cæſareæ Theodoſia virgo, Theophilus Scholaſticus, Anectus, Fabius, Gordius, Dorothea virgo.

Ancyræ in Galatia Clemens Epiſcopus, & Agathangelus.

In Bithynia Nicomediæ Lucianus presb. Iuliana Virgo, Petrus Imperatoris cubicularius, Egdunus presb. cum aliis ſeptem, Pancratius, Pantaleo

Pantaleo cum Hermolao, & Hermippo, Hermocrateq; fratribus: Baſiliſſa virgo nouem annos nata, Ioannes, Hadrianus cum ſocijs xxiij. Dorotheus, & Gorgonius, Diocletiani Cubicularij, Cyprianus, & Iuſtina virgo, Eulampius, & Eulampia eius ſoror, & alij CC. item Barbara, & Iuliana virgines: item martyres viginti: Pancarius, ciuis Romanus, Macedonius cum Patricia coniuge, & Modeſta filia, Anthimus ipſius vrbis Epiſcopus.

Nicææ, Menodora, Metrodora, & Nymphodora ſorores, Autonomus Epiſcopus, Theodora cum filijs, Diomedes medicus, ciuis Tarſenſis, Antonina, virili animo mulier.

In Pōto plurimi liquato plumbo, acutis arūdinibus, alijsq; tormentis excruciati, ac perempti: item Tomis Marcellinus Tribunus cum Mammæa coniuge, & filijs Ioannē, Serapione, ac Petro: item Argæus, Narciſſus, & Marcellinus fratres.

In Thracia Alexander, ciuis Puteolanus, itē Marcianopoli Maximus, & Theodorus.

Chalcedone martyres xlix. itē Euphemia virgo.

Cyzici, quæ vrbs eſt in Helleſponto, ſiue in Propontide, ſiue in Bithynia, ſiue in Myſia, Siſinnius Epiſc. Fauſta virgo, Eulaſius, vel Euilaſius Præfectus, Maximus.

In Macedonia Theſſalonicæ Theodulus, Agathopodius, Irenæus, Irene virgo, Domninus, Demetrius, Alexander, Anyſia virgo.

In Epiro Petrus.

In Creta Gortynæ Cyrillus Epifcopus.

In Euboea Infula,alias Chalcide,Methodius Epifcopus.

In Illyrico Vrficius.

In Pannonia, Sirmij Syrenus Monachus, Montanus Presb.Demetrius Diaconus, Maxima virgo,& alij XL. item Pollio, Irenæus epifcopus.

In Græcia Maximus, Cintillianus, Dadas, Cachius Cappadox, Alexander, Pappius, Felix Epifcopus, Ianuarius presb.Fortunatus,& Septimius: Victor, Zoticus, Zeno, Acyndinus, Cæfarius, Seuerianus, Chriftophorus, Theonas, Antoninus, Ianuarius Epifc. Proculus, & Fauftus Diaconi, Defiderius lector cum focijs; Rhodopianus Diaconus, Diodorus, Agapius, Timolaus, Plefius, Romulus cum focijs quatuor, Bafilifcus, Firmus, Abudimus, Agathonicus, Zoticus item; Theoprepius : item Seuerianus, Theodorus, Oceanus, Ammianus, Iulianus, Epicharis, fenatoria mulier, Paphnutius, & alij D X L V I I. item Alpheus, Alexander, Marcus, & focij: Charitina virgo, Zenobius Epifc. & Zenobia, Domninus, Theotimus, Timothe⁹, Philotheus, Dorotheus, Carterius, Siluanus, Pãphilus cum tribus virginibus; Azas cum focijs CLII. Dafius, Menas, & Hermogenes: item Euftratius, Eugenius, Mardarius.

Mopfuheftiæ Claudius, Afterius, Neon, germani

mani

mani fratres. In Norico Florianus.

Incertis in locis passi, Paulus, Pausinius, & Theodotio, germani fratres: item Ananias, Petrus, Eusebius, Neo, Leontius, Longinus cũ alijs quatuor: itẽ Genesius, Theopontius, Aetherius.

Iam vero quis eorum numerum assequi possit, quorum nomina nobis ignota sunt, sed in libro vitæ apud eum descripta, cuius causa mortem libenter, & alacriter obierunt? Quis proposita toto terrarum orbe per illa tempora Christianis hominibus exilia, bonorum proscriptiones, bestias, cruces, ignes, aliaque horrenda, & inaudita supplicia oratione complecti? Quid quòd ea tormenta fidelibus ex Tyrannorum edictis adhibebantur, quæ non solum acerbitatem, sed iniuriam etiam, atque ignominiam continerẽt? Siquidem Equuleus, Catasta, Vngulæ, Fustes, Flagella, Laminæ cãdẽtes, Plumbatæ, Fidiculæ, erant eiusmodi cruciamenta, quibus Decuriones, primariosque viros, quos Principales vocabant, torqueri, augustalibus Impp. Gratiani, Valẽtiniani, & Theodosij legibus vetitum erat: sed his supplicijs, vt iure Romano veteri cautum est, plebei, infimæque condicionis homines afficiebantur: quemadmodum ex Prudentij carmine intelligitur, quod pòst suo loco afferetur, vbi de equuleo dicendum erit. Ipsum Eusebium, si placet, audiamus, qui oculatus testis, tantæ crudelitatis rabiem aliqua ex parte libro viij. sic indicat, cap. vij.

Exquirebantur, inquit, diuersa tormentorum
genera sibi inuicem succedentia. Flagris pri-
mùm per omne corpus Dei martyres carpeban-
tur, deinde tradebantur ad bestias. Adhibe-
bantur leones, vrsi, pardi, apri, tauri, atq; omne
ferarū genus, quibus etiā ferro, atq; igni feritas
addebatur. Præparabantur hæc omnia aduersus
Dei cultores, & omnis contra eos hominum, be
stiarumq; & elementorum crudelitas armaba-
tur. Ad hæc Christiani denudati statuuntur in
media arena; bestiæ à magistris arte ad furorē,
& sæuitiam irritatæ, è caueis emittuntur; mar-
tyres circumeunt sæpius, & oblustrant, & vim
diuinæ custodiæ sentientes, procul ab eorū cor-
poribus abscedunt. Sed illico furor, qui repri-
mebatur in belluis, transit in homines. Mittun-
tur, qui eas aduersus sanctos instigent; Verum
illæ, vt omnes intelligerent nō feritatem deesse
bestijs, sed diuinam Deum colentibus adesse cū
stodiam, eos ipsos instigatores incredibili cele-
ritate discerpunt. Cum nemo iam auderet acce-
dere, iubentur ipsi sancti martyres commotis
manibus, & velut prouocantibus incitare aduer-
sum se belluas. Sed nec sic quidem lædi poterant.
Mutantur feræ, & prioribus amotis, aliæ rursus
immittuntur. Sed ijs quoque, cum nihil marty-
ribus nocerent, summotis, sæuiores bestijs homi
nes gladijs efficiunt, quod belluis nequiuerunt.
Ipsa verò sanctorum cadauera sepultura priuan
tur, & fluctibus mandari iubentur. Et cap. viij.

Illos, qui in ipſa Aegypto martyrium pertulerunt, nemo eſt, qui non magnopere admiretur, vbi cũ coniugibus, ac liberis viri prope innumerabiles, pro Saluatoris noſtri doctrina, vita fragili, & momento temporis duratura prorſus neglecta, varia mortis genera ſubierunt. Quorum alij poſt cuticulam nouaculis laceratã, poſt mẽbra luxata, & diſtorta, poſt corpora flagellis acerbiſſimis laniata, alijſq. infinitis, varijs, & dictu horrendis excruciata tormentis, in ignem tandem iniecti fuerunt. Alij in altum pelagus præcipites acti: alij ſua capita lictoribus amputanda fortiter obiecerunt: alij rurſus patibulis ſuffixi: quorum nonnulli tanquam malefici, ſuſpenſi: alij deteriori modo capite in terram demiſſo, clauis firmati, & viui uſque eo ſeruati, quoad in ipſis patibulis inedia contabeſcerent. Et cap. ix.

Apud Thebaida vero omnẽ narrationẽ ſuperat exercitata crudelitas. Pro vngulis teſtas adhibebant tortores, quibus totũ corpus eouſq. lacerabant, donec carnis eraderent cutẽ. Mulieres quoq. arte quadã cõpoſitis machinis, vno pede in ſublime ſuſpenſas, & capite in terrã demerſas, indigniſſimo ſpectaculo expoſitas, pendere p totũ diẽ ſinebãt. Alias, ſicubi vicinæ ſibi duæ arbores reperirentur, vi quadã ab vtraq. inflexis contra ſe inuicẽ ramis, eiſq. ſingulis ſingulos pedes martyris deligãtes, ſubito ramos, quos vi adduxerãt, remittebãt: q cũ ad ſitũ ſuũ naturali impetu referrẽtur, diſcerptis viſceribus, auulſa ſecũ

membra rapiebant. Idq. non paucis diebus, sed per annos aliquot quotidie, quãdo minimũ, decem, interdum verò & centum vno die viri, vel mulieres, atque adeo pueri his cruciamentorum generibus trucidabantur. Et cap. x.

Verberantur alij fustibus, alij virgis, flagris quoque alij, nonnulli loris districti, vel funibus appensi. Eratque studium per singulos prope nouum genus inuenire supplicij. Post tergum alij vinctis manibus appẽdebantur, & trochleis distenti membratim diuellebantur. Iam vero vngulis exarari, vsitatum, ac leue ducebatur. Quod tamen supplicij genus si cui fuisset adhibitum, non (vt latronibus, & homicidis solet) latera solum fodiebantur, sed venter etiam, & femora, & tibiæ: denique vsque ad vngues vngula pertinebat. Sed ne facies quidem, aut frons à tormentis remanebat immunis. Quosdam ad columnas alligatos, & districtis pone tergum brachijs, relinquebant. Alij in equuleum acti, totum diem torquebantur, si fortè pœnæ diuturnitate victi, succumberent. Tum toto corpore tormentis, aut verberibus lacerati rursum nudi in carcerem pedibus trahebantur, ibique compedibus, & catenis onusti, solum acutis testarum fragmentis constratum premere cogebantur. Et cap. xj.

Quis possit vel illa repetere, quibus apud Arabiam Sancti martyres securibus cæsi sunt, vel quæ in Cappadocia gesta sunt, vbi crura

frangi

frangi Dei cultoribus iubebantur ? Quis Mesopotamiæ referat cruciatus, vbi Christianos suini tergoris more, altera manu, ac pede suspensos subiecto tetro fumo suffocabant ? alios autem lento igne adhibito, tormentis longioribus absumebant? Et cap. xij.

Quomodo item recordabor apud Antiochiam craticulas, quibus impositi Christiani subiecto igne torrebantur? Et cap. xiij.

In regionibus vero Ponti crudeliora gerebantur. Arundines acutæ quibusdam sub vnguibus digitorum infigebantur; Alijs plūbum liquens per dorsum ad loca, quibus naturalis egestio procuratur, infundebatur. Feminis quoque verua candentia nullo humanitatis, miserationisue respectu per viscera, & secretos meatus immittebantur. Sed quid agam ? vocabula iam desunt, quibus admissa scelera appellentur. Sustinebant tamen omnia fortissimi martyres: cum illi præclari Iudices hoc vno sapientiam suam omnibus admirabilem fore putarent, si aliquod nouum crudelitatis, & supplicij genus excogitassent. Hactenus Eusebius.

His igitur tam multis, tamque inusitatis tormentorum generibus tantum abest, vt debilitata vel fracta sit vnquam diuina illa virtus Christianorum, vt confirmata sit magis, & clarissimis uictorijs illustrata. Siquidem Tyrannorū crudelitas cruciare, atque excarnificare illorum corpora potuit, animos vero ipsos cælesti virtu-

te, præsidioque munitos expugnare, aut labefa-ctare non potuit. Defecerunt (ait Eusebius) car nificum manus, & sibi inuicem succedentes fatigati sunt: hebetata est acies gladij. Videbã fessos residere tortores, resumere vires, animos reparare, mutare gladios, diem quoq. ipsum non sufficere ad pœnam. Nemo tamen omnium, ne puer quidẽ infans à morte potuit deterreri: sed hoc unusquisq. metuebat, ne, dum celerem sol uergens clauderet diem, auulsus à consortio martyrum remaneret. Sic confidentia fidei con stanter, & fortiter, cum lætitia, & exultatione mortem præsentem, uelut æternæ uitæ principia capiebant. Denique dum priores iugularentur, reliqui psallentes, & hymnos Deo canentes locum quisq. sui martyrij expectabant: ut hoc modo etiam extremum spiritum in diuinis laudibus exhalarent. Hæc ille.

Tantam porrò multitudinem constat pro Christi fide pertulisse martyrium, ut ueterum scriptorum testimonio infinita, & innumerabilis censeatur. Quamobrem uictus Diocletianus Tyrannus, eiusq. socius Maximianus, tam magno martyrum numero, cum se nihil profecisse animaduerterent, atque, vt idem Eusebius, & Nicephorus aiunt, aliquantulum iam, non ratione atque humanitate adducti, sed tamen crudelitatis magnitudine satiati, respicere immanitatem sceleris sui cœpissent, vrbes optimis ciuibus priuatas, uacuos cultoribus agros, liberis orbatos

batos parentes: consilium cœperunt, ut ipsis uidebatur, aptissimum & ad clementiæ existimationem imperiali nomini comparandam, & ad dolorem, sempiternamq. ignominiam Christiano populo inurendam. Edicto cautum est, ne Christiani deinceps occiderentur: quod perinde esse videretur, ac si crudelitati, & supplicijs modus finisq. iam fixus esset: simulq. imperatum, vt vnicuiq. Christi religionem colenti dexter oculus effoderetur, cauterioq. adureretur, & sinistri pedis nerui præciderentur: atque ita debilitati per omnes Prouincias ad metalla non tam operæ, quàm pœnæ causa deportarentur. Sed neque his contumelijs, & cruciatibus, neq; alijs, quæ postea subierunt, grauibus, acerbisq; tormentis, è gradu pietatis deijci potuerunt fortissimi athletæ Christi: immo constantiori animo cursum martyrij confecerunt. Itaque diuina ope, inanis ea Tyrannorum cogitatio, irritusq. conatus fuit. Etenim (vt Simeo Metaphrastes in vita S. Mennæ martyris memoriæ prodidit) cum ea se ambo moliri viderent, quæ nullo modo perfici possent, non vlla commutādæ vitæ cupiditate, vt plerique perhibuerunt, aut ingrauescentis ætatis tædio affecti, aut rerum, negociorumque mole oppressi, sed diuina Christi virtute, & miraculorū magnitudine superati, & in summam animi ægritudinem adducti, quòd Christianum nomen neque delere, neque obscurare possent, Imperio se abdicarunt. Atque hāc

exuen-

exuendæ purpuræ,& ad priuatam vitam redeũdi veriſſimam cauſam etſi in vulgus non protulerunt, illis tamen libere ipſi confeſſi ſunt, quibus animorum ſuorum arcana patefacere conſuerant, vt Metaphraſtes loco citato, & Michael Glycas in ſuis Annalibus teſtatum reliquit.

Quapropter cum ſimul decem, & octo annis imperaſſent, demum (quod ex Panegyricis incertorum ſcriptorum intelligitur) anno ſalutis CCCIIII. ſiue CCCVII. Parilibus, xj. Kal. Maias, quo die quondam imperare cœperant, ambo, Diocletianus quidem Nicomediæ, Maximianus uero Mediolani purpuram depoſuerũt: atque Diocletianus Salonas in Dalmatiam ſe recepit, vbi cum priuatus ix.an. uixiſſet, demum prope octogenarius, uel alienatione mentis, uel hauſto ueneno ad æternos cruciatus deceſſit: Maximianus in Lucanos conceſſit; qui, cum imperiũ, quod inuitus propemodum, ut Collegæ obſequeretur, depoſuerat, recipere conatus eſſet, ob eamq. cauſam Conſtantino genero feciſſet inſidias, eius iuſſu, quinto pòſt anno Maſſiliæ ſtrangulatus, dignum moribus, factiſq. ſuis exitum uitæ, & quidem ſempiternis flammis apud inferos arſurus, inuenit. Atque hæc de grauiſſima Diocletiani, & Maximiani Imperatorũ perſecutione, deq. illorum temporum ſanctis martyribus dixiſſe, ſit ſatis.

B § *Orta eſt Seditio Pontificum in vrbe Roma.*]

Nullos

Nullos Christiana religio infestiores habuit aduersarios, quàm Idolorum sacerdotes, & sacrorum Antistites. Ab ijs enim potissimum aut patriæ superstitionis studio, aut quæstus cupiditate commotis non modo imperita multitudo, uerum ipsi etiam Magistratus, ac Principes aduersum Christianos concitabantur. Id animaduertere licet in uita B. Bartholomæi Apostoli, & S. Christi martyris Apollinaris, Rauenatium Episcopi, S. Romuli Fesulani Episcopi, S. Vitalis mart. S. Hagnes virginis, & martyris, & aliorum martyrum, quos breuitatis causa prætérimus: qui populari seditione à Deorũ sacrificulis excitata, crudelissime sunt interfecti.

Quod autem ad Pontificum uel nomen, uel intellectum, uel munus attinet, hoc satis est admonere, Pontificatum ueteribus Romanis sacrum fuisse munus, à posse, & facere, ut Scæuola apud Varronẽ dicit, uel, vt ipse Varro. lib. iiij. de ling. lat. scribit, à ponte appellatum. A Pontificibus enim pons sublicius est factus primũ, & restitutus sæpe. & Dionysius Halicar. lib. ij.

Nouissima, inquit, Numæ institutorum pars continebat sacra maximi apud Romanos sacerdotij, & cuius potestas est amplissima. Hi ab uno suorum operum, videlicet sarciendo ponte sublicio, uocabantur Pontifices, summa auctoritate prædit: Nam de omnibus causis ad sacra pertinentibus iudicant, & inter priuatos, & inter Magistratus, & inter Deorum ministros: no-

uasq;

tuasq. leges de sacris arbitratu suo condunt, sicu bi destituuntur scriptis legibus: & Magistratus, penes quos cærimoniæ sunt, ac sacrificia, sacerdotesque omnes examinant: ministros quoque sacrorum in officio continent, ne quid præter sollemnes ritus faciant: à profano etiam, & imperito vulgo consuluntur de cultu Deorum, ac Geniorum, alijsq. religionibus: quòd si quem animaduertant præscripta sua cōtemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipsi nullius potestati sunt obnoxij: nec debent uel senatui vel populo reddere rationem. Id genus sacerdotes siue sacri doctores, siue sacrarum legum consulti, siue sacrorum custodes, recte dicendi sunt. Ego Hierophantas nostris appellari dixerim. & cet.

Hi à Numa quatuor primū instituti sunt, omnes Patricij, pòst rogatione Ogulnia anno Vrbis CDLIIII. quatuor de plebe additis, octo facti, qui maiores sunt appellati. Deinde L. Cornelio Sylla, Felice dictatore, septem prætera alij, qui minores vocabantur, creati: eorumq. numerus ad quindecim auctus. Postremo à Theodosio seniore Imp. Christianiss. cum ceteris vetustæ superstitionis sacris sublati, vnoq. edicto sacerdotiorum omnium redditus fisco attributi. Dionysius lib. ij. Liu. lib. x. Florus in Epitom. lib. 89. Cicero in orat. pro domo ad Pontt. & de Arusp. responsis, Theodoretus Cyrensis, Symmachus in relatione ad Theodosium Imp.

Horum

Horum Pontificum vnus Populi Romani suffragijs creatus, ceterisque prælatus, dicebatur Pontifex Maximus, iudex videlicet, vt ait Sex. Pompeius, atque arbiter rerum diuinarum, & humanarum, à Numa institutus, à Gratiano Imperatore sublatus. Is omnibus populi Romani sacris præerat; eiusque maxima, & in omnes Sacerdotes suprema potestas erat. Dionysius lib. II. Liu. lib. I. Plutarchus in Numa; & Zosimus lib. iiij.

Hanc vocem postea sancti illi patres, qui religionē Christianam latinis litteris illustrarunt, sapienter à Romana lingua mutuati ad Ecclesiastica munera transtulerunt; & Ecclesiæ Dei, sacrisque præpositos, quos græco nomine Episcopos primò vocauerāt, eosdem deinde Pontifices appellarunt, eorumque principem, qui sūmam inter omnes habet auctoritatē, omniumque Christianorum parens est, magister, ac iudex, Deique inter mortales Vicarius, Pontificē Maximum, siue summum, & magnum sacerdotem nominarunt; & illud quidem Romano, hoc autem Hebraico more dixerunt.

C *Inter quos erat B. Abundius presb. & Abundantius Diac.*] Hæc nomina sæpe in antiquis codicibus, & monumentis aspirata reperiuntur: & Habundium quendam Nicopolitanum in Græcia patrem sancti Eleutherij primi, Romani Pōtificis, qui sub principe L. Aurelio Commodo martyrium subijt anno Domini C LXXXVI. in

septi-

ſeptimo Kal. Iunij; & alterum Habundium ciuem Romanum legimus, patrẽ S. Zephyrini primi, Pontificis max. qui itidem pro Christo interfectus est, Imperatore M. Opilio Seuero Macrino, anno à partu Virginis C C X I I X. & alium Abundiũ Placidi Præfecti vrbis filium, qui à S. Valentino Interamnatium Episcopo ad Christũ perductus, diſcipulos eius Proculum, Ephebum, & Apollonium à Conſulari Leontio fidei cauſa necatos iuxta magiſtrum Interamnæ ſepeliuit, vt & Surius ex antiquiſsimis M. S. codicibus, & peruetuſta Martyrologia referunt, xvi. Kal. Martias.

Abundantium vero alterum cum Leone, Donato, Nicephoro, alijſque ix. martt. kal. Martijs Martyrologium Rom. commemorat; quo tamen die Vſuardus Abundium, non Abundantium ponit. Ad hæc, inter Archipresbyteros titulorum, hoc eſt, paroeciarum cardinaliũ ſub Gelaſio I. an. Domini circiter CDXCV. Abundantius quidam in titulo S. Sabinæ, quæ eſt in monte Auentino, & Habundius in titulo S. Euãgeliſtæ Marci, numerantur. Fl. item Habundantium collegam habuit in tertio Cõſulatu Theodoſius ſenior Auguſtus in oriẽte, anno Christi C C C L X X X X I I I. vt conſtat ex Socratis Scholaſtici Hiſt. lib. v. cap. xxv. & ex M. Aurelij Caſſiodori, Proſperi Aquitanici, & Marcellini Comitis Chron. faſtiſque Conſularibus Panuinianis. Ex quo coniicimus vtramque familiam

& Ro-

& Romanam, & honestam fuisse. Confirmat hanc cõiecturam exemplar Senense, vbi horum sanctorum non modo martyrium, sed horariæ etiam preces, atque adeo propria Missa continetur: ipsique tum Romæ nobili loco nati, tum germani fratres fuisse tradũtur. Hoc idem præterea ex ipsa historia facile intelligi potest. Nam XXV. simul Christianos ad tribunal productos Diocletianus interrogans, vt videt in fidei confessione constantes, iubet xxiij. quidẽ confestim via Salaria ad secundum lapidem obtruncari: hos vero duos, quos tanquã illorum magistros, duces, & impostores accusauerat, primò in vincula conijcit, tum xxij. aut xxv. pòst diebus eductos è carcere rursus interrogatione pertentans ad cultum Idolorum hortatur: deinde cum frustra suaderet, equuleo torquet, demum eorũ patientia iratior factus, via Flaminia ad x. lapidem securi eos percuti mandat. Cur hos duos à reliquo cœtu seiũgit? cur non cum illis statim occidit? cur tot diebus ad mutationem consilij seruat? cur deniq. tam longe ab vrbis mœnibus ad necem amandat? atque hæc Christianæ alioqui religionis hostis acerrimus? alia profecto causa nulla, quàm ipsorum insignis quædam nobilitas, & auctoritas, & Romani nominis respectus, ac dignitas, proferri potest.

Ceterũ plures in Martyrologijs inuenimus Abũdios martyres, quorum primus Romæ anno Domini CCLI. sæuitiam Decianæ perse-

cutio-

cutionis expertus eſt,&vna cum Irenæo cloacario,quòd B.Concordiæ martyris corpus in cloacam proiectum, ſepulturæ cauſa ſuſtuliſſet,in eandem cloacam iuſſu Valeriani Præfecti demerſus, martyrij palmam accepit;quorum corpora à Iuſtino presb. inde ſublata, in cryptam iuxta B. Laurentium condita ſunt.Beda vij. kal. Septembris,Vſuardus,& Surius in geſtis B.Laurentij,& Breuiarium Carnutenſe.

Alter Abundius cum Iuſto in ignem iniectus gladioque ob Chriſti fidem percuſſus eſt anno Chriſti CCXXCVIII. Numeriano Imp. & Olybrio Præſide,xix.Kal.Ianuarij.M.R.

Tertius Diaconus perſecutionis Diocletianæ temporibus,Marciani Præſidis decreto, Spoleti cum Carpophoro presbytero,fuſtibus,carcere, inedia,vinculis, equuleo cruciatus,ad poſtremũ ſecuri vitam finiuit, iiij. Idus Decemb. M.R. & Cremonenſe, alijque codices M.S.

Quartus eſt hic presb.de quo agimus.Is Romæ eodem Diocletiano Imp. Abundantiũ Diaconum,& Marcianum,eiuſque filium Ioannem ambos à ſe baptizatos, glorioſi martyrij cõſortes habuit,xvj. kal. Octob. vt conſtat ex eorum martyrij ſupraſcripta narratione.

Quintus item Romæ Diocletiano Cæſare fidei aduerſario, coronã martyrij cepit cum Alexandro, Antigono, & Fortunato,iij.kal. Mart. M.R.& Maurol.quãuis & Galeſinius pro Abũdio ponat Abundianũ, ex codice manu ſcripto; & Beda

& Beda, atque Vſuardus Abundantium, & Theſſalonicæ, ſcribant.

Sextus, presbyter, Cordubæ vi. Idus Iunij, vt Vſuardus, & Maurolyc. vel v. Idus Iulij, ut M.R. & Galeſinius habent, in Arabica perſecutione Mahometicæ ſectæ ac ſuperſtitioni infeſtus, martyrium ſubijt.

Fuit item S. Abundius ciuis Theſſalonicenſis, Nouocomenſium Epiſc. & confeſſ. ſacra eruditione, & vitæ epiſcopalis laude illuſtris, & in Chalcedonenſi ſynodo clarus; Maurol. Galeſin. M.R. quarto Non. April.

Poſtremo S. Gregorius lib. iij. Dial. cap. xxv. meminit de Abundio quodã, B. Petri Apoſtoli Eccleſiæ cuſtode, qui paralyticũ, ipſius Apoſtoli auctoritate ſanarit. Quædam tamen exemplaria pro, Abundio, habent Agontium.

Hæc cum ita ſint, illa dubitatio tollitur, quæ alicui oboriri poſſet. Nam B. Vdalricus Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopus, vt in eius vita à Bernone abbate Augienſi olim edita, & à Surio in quartum volumen de Sanctis relata, narratur, iterum Romam religionis cauſa peregrinatus, hinc ſacrum caput S. Abundij martyris Auguſtam pie deportauit. Id vero caput non huius Abundij, qui cum Abundantio paſſus eſt, ſed alterius eſſe, ipſa temporum ratio aperte demõſtrat. Vdalricus enim Romã venit primum clericus Auguſtanus, Hugone, & Lothario filio Italiæ regibus, & Marino. II. Pont. max. q. põtifica-

tum inijt anno à partu Virginis xlj. siue xlij. supra C M. tertio Nonas Nouembris, iterum iam Episcopus, Berengario, & eius filio Adelberto in Italiá regnãtibus, & Ioãne xij. summo Pontifice, creato an. Domini DCCCCLV. siue DCCCCLVI. quarto Idus Iannuarij, qui euocatũ Romam Othonem I. Saxonum regem, post victos, ac fugatos tyrannos, antiquo more institutoque inunxit, atque imperij diademate redimitum, Augustum appellauit. Sanctorum verò Abundij, & Abundatij corpora inuenta primum sunt, atque traslata, vt supra memoratum est, circa annum Domini M.I. Othone III. Augusto, & Siluestro ij. Romano Põt. vt hic sit Abundius, cuius caput id esse diximus, quod in tẽplo Capitolino B. Mariæ Aræcæli religiose seruatur. Etenim in ijs sacris ossibus ss. Abundij, & Abundãtij, quæ postremum reperta sunt, nihil fere, nisi caput s. Abundij, desideratur.

D ¶ *Omnes isti, quos conspicis, Christiani sunt.*] Liberrima fidei professio, Sãctorum martyrum olim propria, quibus moris fuit, vt à Iudice vel in summo vitæ discrimine de patria, deq. natalibus interrogati, vnum illud responderent, se Christianos esse. Vnde, cum acerbissime cruciarentur, si forte vi tormentorum de fidei constantia deijci possent, hæc sola vox audiebatur, Christianus sum. Id quod cum ex omni Martyrologio siue latine, siue græce conscripto planum fit; tum præcipue ex primo capite libri quinti

Eccle-

Ecclesiasticæ hist. Eusebij, vbi singularis in hoc genere grauitas & constantia cuiusdam diaconi Viennensis, cui Sācto nomen fuit, christianæ fidei causa in Gallia varie cruciati his verbis ex epistola Gallicana ad Ecclesias Asiæ, ac Phrygiæ missa discribitur.

At ille vir Deo plenus, in tantum crudelitates eorum irrisit, & ferinam in quæstione sæuitiam, vt nunquam dignatus sit, vel quis esset genere, vnde domo, vel patria, nomen saltem suum eis fateri. Sed de his singulis interrogatus, nihil aliud in omnibus tormentis, nisi Christianum se esse, respondit. Hoc mihi nomen, hoc genus & patria est. Aliud, inquit, omnino nihil sum, quàm Christianus. Vnde & eos incredibilis agitabat insania, quòd tantis pœnarum generibus cōsumptis, extorquere ei ne professionem quidem proprij vocabuli potuissent.

E ¶ *Primo nomine spirituali, & cet.*] Vsitatam & hanc ss. Martyrum fuisse responsionem, ex S. Georgij martyrio, quod à Pasicrate eius seruo conscriptum, atque è tenebris in lucem opera Lipomani erutum, & in secundū volumen à Surio relatum legitur, euidenter apparet. Siquidem fortissimus Christi martyr B. Georgius, genere Cappadox, honesto loco natus, moribus, opibusq. illustris, sed Christianæ fidei professione illustrior, diuina quadam prudentia præditus, & plurimis iam tribunatibus in militia functus, cum imperialibus edictis horribilem

perſecutionis tempeſtatẽ aduerſus Chriſtianum nomẽ excitatam intueretur, omnem pecuniam, remq. familiarẽ pauperibus elargitus, magno, &fidenti animo ad Diocletiani tribunal acceſſit, & Magiſtratibus, militibuſq. audientibus, clara voce ſe Chriſtianum eſſe pronũciat. Tum Magnentius,qui ſecundas in Imperio tenebat,

Quodnam, inquit,eſt nomen tuum? & quisnam es tu,qui tantum audaciæ præ te fers? Reſpondit Georgius,Ego primo, & præcipuo nomine Chriſtianus appellor; vt vero apud homines vocor,Georgius ſum,cum ita Deo meo placuerit. Oportet enim me copioſum & vberrimum cæleſti Deo meo pietatis fructum offerre, & cet.

F ¶ *Deo Herculi,& Ioui inuictißimis.*] Hos enim Deos præter ceteros,hi duo Cæſſ. præcipuo cultu venerabantur;à quibus etiam cognomina ſuſceperunt;& Diocletianus quidem Iouium, Maximianus autem Herculium ſe voluit appellari, in eo videlicet triumpho,quem Romæ biennio ante,quàm imperio ſe abdicarent, ex diuerſis gentibus,ferculorum pompa inſignem, antecedẽtibus eorum currum,Narſei (qui ſeptimus apud Perſas ab anno Domini CCXCIIII. ad CCCII.regnauerat,cõiuge, ſororibus, liberis,& omni gaza Perſarum.

Intolerabilis viſa eſt Domitiani Cæſaris arrogãtia,qui, vt Suetonius refert,cum formalem dictaret epiſtolam,ſic cœpit; Dominus, & Deus noſter

noster sic fieri iubet. Quanto intolerabilior & arrogantior Diocletianus, qui nono imperij anno, primus, vt Deum, adorari se iussit, & gemmas vestibus, calceisq. inseri, cum omnes fere ante eum Imperatores (excepto Claudio Cæsare, qui, teste Plinio lib. xxxvij. cap. vj. smaragdos induebat, & sardonychas) more Iudicum salutarētur, & chlamyde tantum purpurea à priuato habitu plus haberent? Eusebius in Chron. Exstant præterea eius litteræ in eodem S. Georgij martyrio ab auctore insertæ, detestabilis arrogantiæ; impiæq. crudelitatis indices, ac testes, quas hic cognitionis gratia adscribere uisum est.

Diocletianus Maximus semper Augustus, æternus Imperator omnibus per omnem Prouinciam ac Romanorum ditionem Ducibus, Præsidibus, ac magistratu aliquo fungentibus, salutem.

Quoniam ad diuinas nostras aures fama quædam peruenit, quæ non mediocriter nos perturbauit, hæresim quandam valde impiam eorū, qui Christiani dicūntur, vigere coepisse: quippe qui Iesum, quem Maria quædam Iudaica femina peperit, vt Deum, colunt; Apollinē vero magnum illum Deum, Mercurium, Dionysium, Herculem, ac Iouē ipsum, per quos nostræ reip. pax data est, contumeliosis maledictis insectantur; venerantes, vt Deum, Christum illum, quem Iudæi, tanquam maleficum, in cruce suf-

fixerunt. Hac de causa edicimus, vt omnes Christiani, tam viri, quam mulieres, per omnes vrbes ac regiones, supplicijs acerbissimis subijciantur, nisi Dijs nostris immolare, & errorē illum suum abijcere voluerint. Et, si quidē paruerint, veniā illis dari volumus: sin minus, gladio percuti, & morte pessima puniri. Illud autem scitote; si hæc diuina nostra edicta neglexeritis, easdem, quas & illi dabunt, pœnas vos daturos.

G ¶ *Responderunt Sancti martyres*] Epitheton Christi Martyrum, quos S. quoque Cyprianus in suis scriptis passim Beatos, Beatissimos, Fortissimos, Fidelissimos nuncupat; quæ nomina in antiquis Martyrologijs crebrius vsurpantur. Tertulliano autem vsitata vox est, Benedicti martyres: à quibusdam Constantissimi nominantur. Martyris autem nomen illis solum, qui pro Christo cruciatum necemq. subierunt, hodie tribuitur, vt Confessoris ijs, qui sola vitæ sanctitate nomen Christi confessi sunt. Olim martyris & confessoris nomen synonyma fuisse existimatur cum ex alijs priscis monumentis, tum ex S. Cypriani libris. Apud Eusebium præterea legimus nonnullos fuisse iterum, tertio, & quarto confessores, hoc est ob Christi confessionem sæpius publice cruciatos, quos tamen Tertullianus nunc designatos Martyres, nunc simpliciter Martyres vocat. Sed tamen illis quoq. temporibus distincta aliqua martyris, & confessoris appellatio fuit; vt apparet ex eiusdem B. Cypriani

epistola, quæ inscribitur Martyribus & Confessoribus; ex epist. item 30. & 37. & apud Euseb. lib. v. hist. cap. iij. ex eadem epistola Lugdunensium & Viennensiũ ad eccl. Asiæ & Phrygiæ scripta. In tanta, inquit, gloria positi, & semel atque iterum, ac frequentius martyres facti, post ignes & laminas neq. se ipsi martyres dicebant, neq. alijs ita se appellantibus indulgebant; sed si forte aliquis nostrum vel in epistola, vel in sermone eos martyres nominasset, increpabant acrius, dicentes hanc appellationem soli Christo deberi, qui solus fidelis veritatis est martyr, & qui primogenitus est ex mortuis, & auctor vitæ æternæ, vel certe illis solis aptum hoc esse vocabulum, qui post bonam confessionem de hac vita discedere, & pergere meruerunt ad Deum. Nos autem, aiebant, humiles & egeni, optamus, vt ipsa saltem in nobis confessio tuta permaneat. In quod etiam ceteros fratres cum lachrymis obsecrabant, vt pro eis Dominum precarentur, quo perfectæ confessionis signaculum martyris mererentur accipere. Et tanta in eis humilitas erat, vt cum rebus ipsis essent iam martyres, nominis tamen iactantiam fugerent.

H ¶ *In Custodia Mamertini.*] Sic nominatur in antiquis Martyrologijs carcer ab Anco Marcio (qui quartus à Romulo Romæ regnauit) ad terrorem increscentis audaciæ, media vrbe imminens foro ædificatus, cuius pars quædam de-

pressa à Seruio Tullio addita, Tullianũ vocabatur. Christiana pietas eum Apostolorum principi dedicauit, qui in Neroniana persecutione comprehẽsus, nouem mensibus ibi vna cum B. Paulo fuit: vinctosq. non paucos baptizauit, ex quibus Neroniano gladio xlvij. martyrium perpessi sunt prid. idus Martias; & B. Xystus II. Pont. & mart. cum Felicissimo, & Agapeto diaconis, Decij Imperatoris iussu in custodiam Mamertini traditus scribitur in gestis B. Laurentij.

Ceterum Custodiam pro carcere à bonis latinitatis auctoribus vsurpari, vt nemo vel mediocriter eruditus ignorat, ita non facile dixerit cur is potissimum carcer, custodia Mamertini sit appellata; neque ego me id certo scire profiteor; quid conijciam, breuiter indicabo. Exstat in fronte adhuc titulus peruetustus, *C. Vibius, C. F. Rufinus. M. Cocceius. M. F. Nerua. ex S. C.*

Vnde suspicari licet hunc carcerem post Anci, & Tullij tempora fuisse instauratum, vel auctum. Quid si hoc Mamertino etiam tribuamus? vt ab eo postea, tanquam instauratore, Mamertini custodia dicta sit? cũ præsertim in libro Sexti Rufi, & P. Victoris de Regionibus Vrbis & Lacũ, & Balineũ Mamertini, & Ludũ Mamertinũ legam?, & B. Anastasius Põtifex max. S. Crescẽtianæ virg. & mart. Basilicã (quæ & Crescentianæ titulus dicebatur, vnus ex illis xxviij. vetustissimis, quos iam M L X X. ab hinc annis insti-

ſtitutos, (ex Actis Synodi Romanæ Symmacho Pontifice conſtat) in vrbe Roma regione ſecūda, via, quæ dicitur Mamertina, anno Domini circiter CCCC. feciſſe, ſeu dedicaſſe narretur.

Sed illud hoc loco mihi venit in mentem ſuſpicari, pro Mamercino ſcriptum eſſe Mamertinum, mutatione vnius litteræ C. in T. id quod ſuperioribus ſæculis in multis vocibus temere factum codices manu ſcripti oſtendunt. hinc illa ad nos manarunt,

Anitius, Portius, Fabritius, Sulpitius, Martius, Martianus, Mutius, Lutius, Minutius, Contio, Cōditio: & alia, à ſupinis, vel nominibus deducta in CIVS, habent TIVS, vt tranſlatitius, aduentitius, fictitius, patritius, tribunitius, nouitius, & ſimilia; quæ tamen & veterum monumentorum auctoritas, & græca conſuetudo confutat; ſicut illa etiam è contrario, Veneciæ, ſolacium, ocium, precium, Feciales, & ſi qua ſunt talia, quæ nullo modo recipiuntur à doctis; licet vnius, aut alterius antiqui lapidis teſtimonium adferatur.

Quid quod in vetuſtis Annalibus, Faſtiſque conſularibus, Mamerti, & Mamertini nulla, Ma merci vero, Mamercij, & Mamercini crebra fit mentio? erat enim hoc vtrumq. Aemiliorum cognomē. Porrò Aemilios ab Aemilo, Aſcanij, ſiue Iuli Aenea geniti filio Feſtus deducit. Plutarchus ſcribit Numam regem filios quatuor reli-

quisse, Pomponem, Calpum, Pinum, & Mamercum: ab ijsq. Pomponiam, Calpurniam, Pinariam, & Mamerciam gentes Romæ propagatas. Idem rursus, & Sex. Pompeius Aemiliam gẽtem appellatam dicunt à Mamerco Pythagoræ philosophi filio, cui propter singularem humanitatem ac leporem, quem Græci αἱμυλίαν vocant, Aemilio fuit cognomen. Patriciam hanc gentem, & quidem maiorum gentium etiam fuisse constat, in plureſq. familias distinctam varia accepisse cognomina, vnde Mamercini, Lepidi, Paulli, Scauri, Barbulę, Priuernates, Papi, Macri, Bucæ, Porcinæ, & Lutiani manarint: eamdemq. per omnia Reip. tempora præcipue floruisse, & Pontificatu maximo, duobus Principatibus senatus, Dictaturis V. Magisteriis equitum iiij. Consulatibus supra xl. censuris, triumphisq. xv. Tribunatibus milit. consulari potestate xij. decoratam vetera monumenta declarant. Panuinius, & Sigonius in lib. de Antiquis nominibus Romanorum. Et quia multa cognomina (quod docte obseruauit idem Sigonius loco citato) ita immutata sunt, vt per deminutionem in I N V S, à suo primitiuo deflexa cernantur: quemadmodum Albus, quod fuit cognomen primũ Postumiorum, post Albinus euasit; Rufus in Cornelijs, Rufinus; Messalla in Valerijs, Messallinus, & in ijsdem Coruus, Coruinus, in aliis item eadẽ fortasse ratione Longinus, Crassinus, Læuinus, Paullinus, Crispinus, Cæsoninus,

nus,Pætinus,Sextinus,Balbinus,Nigrinus.Mar-
cellinus ; quæ omnia deriuata sunt : sic Mamer-
cus in Aemilijs Mamercinus est factus. L. autem
Aemilius Mamercus, qui Tribunus militaris
quinquies fuit, idem putatur esse, qui postea ma-
gister equitum à M. Furio Camillo quartum
Dictatore cooptatus ; & in consulatu L. Sextio
(qui primus de plebe consul fuit anno vrbis
CCCXXCVIII.) collega ex patribus
datus est ; & in tabulis Capitolinis Mamerci-
nus vocatur : idemque postea quater perfun-
ctus est consulatu : & quem Liuius lib. iiij. se-
ptimo, & octauo, & Diodorus, Cassiodorus,
alijq. Mamercum edunt, eum Fasti Græci Ma-
mercinum appellant. Præterea Cornelius Ta-
citus lib. iij. meminit Mamerci Scauri consula-
ris, qui Tiberio Cæsare floruit. Neque mihi fit
verisimile, in vrbe Roma carcerẽ, viam, lacum,
balneum, ludum aliunde inuenisse nomen, quã
à ciue Romano: ne quis forte Mamertinos, Sici-
liæ populos, ex Campaniæ vrbe Mamertia colo
nos Messanam profectos, adducat : qui fortasse
erroris occasionem præbuerunt. Sed in eadem
insula Mamercium oppidum à Fuluio Pisone
Coss. expugnatum Orosius tradit. Eodem modo
B. Mamercus, Viennæ in Gallia Episc. qui mino-
res litanias instituit, sæpe Mamertus in libris
exaratus apparet; sicut & Mamertinus presb. &
Mamertinus Abbas, ambo SS. confessores, An-
tissiodorenses, vulgo scribuntur.

I. § *Via Salaria veteri.*] Hæc à deportando sale nomẽ consecuta, à Porta Collina in Sabinos ducebat. Sex. Pompeius, Salaria via, inquit, Romæ est appellata, quia per eã Sabini sal à mari deferebant. Strabo lib. v. Per Sabinos, inquit, via Salaria nõ magnæ longitudinis strata est; in quam & Nomentana incidit apud Eretum, Sabinorum vicum, supra Tiberim iacẽtem, ex eadem Collina porta inchoans. Plinius lib. xxxi. cap. vij. Sal, inquit, magna apud antiquos auctoritate, sicut apparet ex nomine Salariæ viæ, quoniam illa sal in Sabinos portari consueuerat. Fuit hæc olim simul Romanorum clade à Gallis Senonibus apud Alliam flumen ad quartumdecimum lapidem, vt Vibius, uel ad vndecimũ, vt Liuius scribit, illata, simul Honoris æde, ac Veneris Erycinæ templo, & C. Marij septies Cõsulis prope Anienis ripas sepulcro sane quàm nobilis; sed postea multo cœpit esse nobilior, & illustrior frequẽtibus Sanctorũ martyrijs, & cœmeteriorum exstructionibus, quæ ibidem quinq. exstitisse traduntur.

Vnum omnium vetustissimum, Ostrianum appellatum, tertio ab vrbe lapide; quo in cœmeterio, vt S. R. E. Protonotarius in acta Liberij Pont. retulit, B. Petrus Apostolus baptizasse perhibetur.

Alterum, quod ab hoc non longe aberat, Nouellæ vocarũt, vbi tanquam exul idem Pont. Liberius habitabat: eoque aliquando vniuersos pres-

presbyteros, ac diaconos Paſchalibus ferijs euocauit.

Tertium ſanctæ Felicitatis martyris, in quo s. Bonifacius j. Pont. max. oratorium fecit, & ipſe conditus eſt.

Quartum Priſcillæ, omnium maximũ, quod in agro ſuo nobiliſſima matrona Priſcilla conſtruxerat, à S. Marcello Pont. dedicatum, & à Ioanne item 1. Pont. inſtauratum. In hoc cœmeterio requierunt ſancti Martyres, Marcellinus Papa, ipſe Marcellus, Claudius, Quirinus, & Antonius presbyteri; Syluester, Liberius, Syricius, & Cæleſtinus Pontifices, & cõfeſſores: Vigilius item Papa, Pudens cum vxore Sabinilla, & filiabus Pudentiana & Praxede; itẽ Baſilla virgo, & ſanctæ martt. Donata, Paulina, Ruſtica, Nominanda, Serotina, Hilaria, & ſociæ; Præterea Hermes Præfectus, Protus, & Hiacynthus, alijq; quamplurimi. In eodem cœmeterio locus erat, quem Cubiculum clarum nominarunt, vbi S. Marcellinus Pont. conditus legitur.

Quintum ad cliuum Cucumeris via Salaria veteri fuiſſe in hac hiſtoria paulo inferius ſignificatur, cum xxiij. illi fideles pro Chriſto peremptí, & in cliuo Cucumeris in crypta conditi memorantur; & apud Bedam, & Vſuardum; & in M. R. xv. Kal. Iulij, Martyres C C L X I I. in Diocletianæ perſecutionis impetu pro fide necati, via Salaria veteri ad cliuum Cucumeris ſepulti eſſe dicuntur.

Ea-

Eadem via xlvj. Milites, qui à S. Dionysio Pont. vitalibus aquis abluti sunt, & mox Claudij Cæsaris iussu viij. kal. Nouemb. capitis damnati, sepeliũtur vna cum alijs SS. Martt. CXXI. Alij præterea C C L X. eodem Imp. religionis Christianæ accusati, primo arenam fodere iussi, post via Salaria in locum quemdam inclusi, & militum telis confossi Kal. Martij ad cælum euolarunt. Ad hæc Chrysanthus, & Daria coniuges genere, & religione clari iussu Celerini Præfecti cõprehensi, & à Claudio Tribuno varie cruciati, Numeriano Imp. tandem in arenariam, quæ est via Salaria, ducti, effossa terra viui lapidibus obruti sunt. Ioannis item presbyteri, cui Iulianus Apostata ante Solis simulacrum, quem colere recusarat, caput via Salaria veteri præcidi iussit, corpus loco, quem Concilia martyrum vocant, à Cõcordio Presbytero cõditum est. auctor Beda ix. Kal. Iulij. Felix IV. Pont. Basilicam S. Saturnini mart. via Salaria incendio cõsumptam à fundamentis restituit. Platin.

Est igitur in Martyrologijs sæpius nominata via Salaria vetus; ex quo intelligimus, alterã nouam fuisse; quemadmodum viæ Valeriæ duæ, vetus, & noua à P. Victore produntur: de quarum altera Strabo lib. v. scribit, de altera meminit Plinius. Duæ item Aureliæ, vetus & noua in antiqua inscriptione marmorea, quæ Tibure in pariete ædis S. Pauli adhuc exstat, leguntur; quarum altera ab auctore, altera, vt quibusdam

pla-

placuit, etiam Traiana dicta, ab instauratore nomen accepit. In ipsa autem instauratione fiebat, vt à veteri aliquibus locis, & modico tractu noua seiungeretur: cum aut breuitas, aut facilitas quæreretur: id quod nuper in via Flaminia factum videmus, dum sapientissimi Principis, Gregorij XIII. Pont. max. iusso, eorum consulitur commoditati, qui religionis ergo ad Cellam sacrosanctam Beatissimæ Virginis Deiparæ Laurettanæ proficiscuntur.

K ¶ *Quorũ corpora tunc collegit Ioannes Presb. & Theodora matrona.*] Haud nihil ambigam, hiccine fuerit Ioannes, an alter, quique sanctorũ Martyrum Cyriaci diaconi, Largi, Smaragdi, & aliorum xx. in persecutione Diocletiana xvij. Kal. Aprilis occisorum, corpora via item Salaria sepeliuit: quiq; cum Crispo itidem presbytero in eadem persecutione, cum multa Beatorum Martyrum corpora sepulturæ mandasset, illorum meritis sociatus, XV. Kal. Sept. ad æterna præmia commigrauit.

Fuit item Imperatore Decio alter Ioannes, qui cum Iustino presb. de quo mox dicetur, xlvj. milites simul martyrio coronatos, humauit.

Alius itidem presbyter, qui à B. Lucina adiutus Sancti Marcelli Papæ, & mart. corpus vnguentis delibutum, eadem via in Priscillæ cœmeterio funerauit, Imperatore Maxentio.

Alius præterea Iuliano Apostata Imper. cor-

pus

seruis M C C L. eorumq. coniugibus, ac liberis baptizata, paulo post, Imp. Adriano, quòd Quirinum Tribunum, s. Balbinæ virginis patrem, ad verum Deum conuertisset, ab Aureliano Iudice gladio necatum, V. kal. Sept. via Salaria funerauit; ipsaque postea eodem Imperatore, eodemq. Iudice martyrium kal. April. consecuta, iuxta fratrem suum sepulta est. Volater. lib. xv. & Martyrologia.

Fuit & quarta Theodora, quæ, cum Publij vxorem B. Anastasiam, Diocl. Imp. fidei causa decertātē, & tætro carcere inclusam, cælestibus escis refecisset, martyriū Romæ passa est. Beda.

Quinta item nobilissima virgo, vt martyrologia habēt, Alexandrina, vt B. Ambrosius, & Volaterr. affirmant, Antiochena. Hæc in patria cultum Idolorum detestata, ob eamq. causam in lupanar tradita, inde Didymi opera, Deo adiuuante, mirabiliter erepta est, saluaq. & incolumi virginali castitate, vna cum eo percussa gladio, Diocletiano Imp. & Eustratio eius vrbis Præside, ad duplicatam virginitatis, & martyrij cælestem palmam decessit, iiij kal. Maij, vt Beda, & Vsuardus; vel, vt Metaphrastes apud Surium tradit, Non. Aprilis. Volateri lib. xx. & s. Ambrosius lib. ij. de virg.

Sexta Nicææ in Bithynia cum sanctis Theusetā, Nymphodora, alijsq. igne consumpta, migrauit ad Dominum iij. Id. Martij. Vsuardus, Beda, & Codd. M. S.

Addendam putarem septimam, quæ in eadem vrbe Nicæa cum tribus filijs, Diocletiano Imp. iussu Comitis Leucadij à Nicetio Bithyniæ Consulari in ardentem fornacē iniecta, iiij. Non. Augusti, vel, vt Metaphrastes, viij. Kal. Ian. vitam pro Christo finiuit: nisi Vsuardus, ac Beda, græcæq. tabulæ Theodotam, non Theodoram, haberent.

Qui error accidit etiam in altera Theodota, quæ Constantinopoli fortiter pro catholica religione depugnans, xvi. kal. Aug. præclaro martyrio coronata est, Imperatore Flauio Leone iii. cui non solum Cononi, atq. Isaurico, sed etiam (quòd sacris videlicet imaginibus impium bellū indixisset, anno Domini circiter DCCXXV. Imperij sui ix. vt auctor est Sigebertus) Iconomacho, Iconoclastæ, Theomachoque fuere cognomina; durauitq. ea hæresis, vt apud Surium vi. Vol. in vita s. Ioannicij Abbatis Metaphrastes scribit, annis lvij. vsque ad Imperium Constantini vii. Porphyrogeniti, & Heirenes Atticæ Augustæ, matris: Quo tempore, hoc, est anno Christi DCCLXXXII. vt Sigeberto, vel DCCLXXIX. vt Georgio Cedreno, vel DCCLXXIIII. vt Paulo diacono placet, Constantinopoli quispiam sepulcrum inuenit, vbi vir iacebat, auream habēs in pectore laminam, cum hoc titulo, *Christus nascetur ex virgine Maria: & ego credo in eū; sub Constantino, & Heirene Impp. o sol, iterum me videbis.* Cuius rei meminit

etiam

etiam S. Thomas 2.2. quæst. 11. art. vii. quo loco Helenæ, pro Heirenes, corrupte legitur.

Denique s. Theodoram, matronam Alexandrinam omitto, quæ Fl. Zenonis Augusti temporibus, cum incaute deliquisset, facti pœnités, & relicto viro, cum clanculum aufugisset, pietatis causa sexum mentita, monasticæ vitæ laude floruit, & quale de B. Marina, græca virgine, memoratur, tale quoq. Christianæ patientiæ documentum reliquit, iij. Id. Sept. sub annum Domini CCCCLXXX. Maurol. xvi. Kal. Aug. M.R. & Metaphr. apud Surium.

L ¶ *Et collegißet corpora Sanctorũ, & cum aromatibus, & linteaminibus sepelisset, & cet.*] Vix dici potest, quã sedula, & religiosa in Sanctorum corporibus conquirendis, humandisq. cura sit olim à fidelibus posita: vnde illa B. Cypriani ardens ad clerum Carthaginiensem adhortatio exstat, vt corporibus omnium martyrum scilicet, & confessorum item, qui etsi torti non sunt in carcere, tamen glorioso exitu mortis excedunt, impertiatur & vigilantia, & cura propensior. Idq. ipsum perspicuum fit ex Luciani presbyteri libro de Inuentione reliquiarum beatissimi protomartyris Stephani, quas Orosio presbytero traditas, in Africam Auitus presbyter misit. Smyrnensis Ecclesia, cum B. Polycarpi corpus ab infidelibus exustũ esset, vt ne à Christianis conditum, pie vnquam & religiose coleretur, illius iã ambusta ossa preciosissimis gem-

mis cariora,& omni auro probabiliora per ignẽ facta, studiose collegit, ac de more, sicut decebat, recondidit: vti ex epistola, quæ apud Eusebium lib. iij. cap. xv. exstat, cognoscimus.

Illud etiam ex annalibus martyrum planum est, non modo presbyteros, eosq. præcipue, qui titulum Romæ obtineret, sed ipsos etiam summos Pontifices in funerandis Sanctorum corporibus olim studio pietatis versatos esse, in primisq. Eutychianum, qui trecentos & quatraginta duos martyres manu sua humasse traditur. B. Marcellini Pont. & martyris corpus Marcellus Pont. sepulturæ mandauit. S. Callistus Papa I. cœmeterio à se via Appia ampliato multa ss. corpora condidit. S. Fabianus Romanus Pont. & martyr, presbyter cum esset, in beatorũ martyrum corporibus tumulandis pie occupatus, Pontiani Pont. & martyris, qui fidei causa in Sardiniam relegatus, obierat, corpus à se Romam delatum, & Anterum itidem Pont. ac martyrem, in cuius ipse locum proxime successit, in cœmeterio Callisti via Appia sepeliuit.

Idem pietatis officium alij presbyteri multi præstiterunt. Siquidem Iustinus Xystum ij. Romanum, Laurentium, Hippolytum, Concordiã, Irenæũ, Abundium, &c. à se baptizatas, Tryphoniam, Decij Cæsaris vxorem, eiusdemq. filiam Cyrillam virg. & mart. aliosq. quam plurimos suis manibus in Crypta iuxta corpus B. Laurentij condidit.

Nico-

Nicomedes Feliculam virg. & mart. via Ardeatina, Nicomedem ipsum martyrem Iustus clericus via Nomentana, Concordius Ioannem presb. via Salaria veteri, vt supra diximus, Zoilus corpus s. Chrysogoni mart. in mare proiectum, paulo post in littore inuẽtum, suis in ædibus sepeliuit.

Ioannes plures, ijdemq. presbyteri, quos ante nominauimus, sicut & Crispus, in eodem officij genere elaborarunt.

Tarracinæ Eusebius monachus, & martyr ss. Iulianum, & Cæsarianum martyres tumulauit.

Asterius, vt Euseb. lib. vij. cap. xiij. refert, Romanæ vrbis senator, & patricius, nobilitate, facultatibus, propinquitate denique imperatoria clarus, Marinũ Cæsareæ in Palæstina ob fidem Christianam in Valeriana persecutione securi percussum, splendida, & preciosa veste, qua amictus erat, obuoluit, humerisq. impositum decẽti sepulcro intulit: quo facto honorem, quem martyri detulit, continuo ipse martyr est assecutus. s. Pigmenius presb. & Iuliani Apostatæ doctor corpora ss. Martt. qui ab eo necaban tur, sepulturæ tradebat.

Nicostratus, Claudius, Castorius, Victorinus, & Symphorianus à s. Sebastiano fidei rudimentis imbuti, & à B. Polycarpo presb. baptizati, in conquirendis martyrum corporibus occupati, martyrio coronantur.

Bonifacius Romanus admissæ intemperan-

tiæ pœnitens, Tarſum Ciliciæ profectus, & eodem conquirendorum, & humandorum martyrum officio fungens, palmam martyrij adeptus eſt.

Alexandriæ Euſebius, & Chæremon diaconi, B. Dionyſij Alexandrini diſcipuli, martyribus vinctis ſumptum, occiſis tumulum exhibebant.

Nicander, cum ss. Martt. reliquias ſtudioſe perquireret, martyrij palmã Diocletiano Imp. eſt conſecutus.

Zacharias presb. corpus s. Irenæi Epiſc. Lugdunen. in Gallia, Seuero Principe, martyriũ cũ vniuerſo fere populo ſuo perpeſſi, in Crypta Baſilicæ s. Ioannis baptiſtæ ſub altari ſepelijt. Beda iiij. Kal. Iulias.

Sancti Abdon, & Sennes Perſæ ſubreguli accuſati ſunt apud Decium Cæſarem eo nomine, quòd ss. Martt. apud Cordubam cæſa corpora collegiſſent, ſuoq. in prædio funeraſſent.

Eos quoq. ipſos in vinculis Romam adductos cum Præfectus Valerianus ob Chriſtianæ fidei conſtantem profeſſionem obtruncaſſet, triduo inſepultos iacentes, Cyrinus hypodiaconus noctu rapuit, & in arca plumbea domi ſuæ recondidit, iij. kal. Auguſti. Surius in geſtis B. Laurentij.

Ex eadem Perſide ss. martyres Marius, & Martha coniuges, nobili loco nati, cum filijs Audiface, & Abachum Romam Claudio Imperatore profecti, præter alia pietatis, & caritatis

officia,

officia, martyrum corpora sepeliebant. Quamobrem à Musiano Præfecto, varijs tormentis via Cornelia ad xiii. lapidem necatos, B. Felicitas nobilis matrona Romana sustulit, & in suo prædio funerauit xiiii. kal. Febr.

Vt vero ne in hoc quidem pietatis munere à viris vinci se Christianæ feminæ pateretur, ecce nobis Lucinæ duæ, ambæ Romanæ matronæ, genere, ac sãctitate illustres: quarũ prior Beatorum. Apost. Petri, & Pauli discipula Christianos fidei causa vinctos, suis facultatibus subleuabat, interfectos in sepulturam tradebat. Nam præter ceteros, ss. Processi, & Martiniani, quos Apostoli baptizarant, corpora collegit, & cum aromatibus in suo prædio humauit: quo pietatis officio sæpe perfuncta, tandem martyrium consecuta pridie Kal. Iulij, ea crypta, siue cœmeterio condita est, quod ipsa via Aurelia martyribus sepeliendis exstruxerat: posterior, cum eius rogatu sanctus Cornelius Papa, & mart. corpora BB. Apost. Petri, & Pauli è catatumbis, vbi per annos circiter XXX. iacuerant, sustulisset, & corpus B. Petri in Vaticano iuxta locum, vbi is cruci affixus fuerat, reposuisset, ipsa B. Pauli corpus via Ostiensi prope eum locum, vbi obtruncatus fuerat, in suo prædio, quod Ecclesiæ Romanæ donauit, pie recondidit: eodemq. postea cum B. Marcello Pont. sexto idus Augusti SS. Martyrum Cyriaci diaconi, Largi, & Smaragdi corpora, quæ à Ioanne presb. via Salaria xvii.

kal. April. sepulta fuisse diximus; aromatibus perfundens, linteisq. obuoluens, trãstulit, & sarcophagis lapideis condidit; corpus s. Marcelli via Salaria adiuuante Ioanne presb. in cœmeterio Priscillæ, corpus s. Sebastiani in suo itẽ prædio via Appia, s. Cornelij eadem via prope Callisti cœmeterium in Crypta arenaria prædioli sui funerasse narratur: cuius in ædibus idem B. Pontifex Marcellus Ecclesiam consecrauit: eadem deniq. eodem auctore Ecclesiam suorum bonorum fecit heredem. Sed B. quoq. Priscilla, matrona item Rom. de qua supra memorauimus, s. Marcelli hortatu cœmeterium suo ære via Salaria exstruendum curauit, & se, suaq. omnia Martyrum obsequio mancipauit. B. R. & Martyrologia.

Maxima præterea mulier Christiana ss. Martt. Geminiani, & Luciæ viduæ Rom. corpora honorifice sepeliuit. B. R.

Maximilla pia femina apud Patras Achaiæ vrbem B. Andreæ Apost. sacrum corpus accepit, & decenti loco cum aromatibus funerauit. B. R.

Sabina Romana, Valẽtini, clarissimi viri, vxor, magistram fidei suæ Seraphiam virginem Antiochenam, Romæ sub Adriano Cæsare à Beryllo Iudice capitis pro Christo damnatam, nobili sepulcro in Auentino ad Arcum Faustini recondidit.

Pudentiana, & Praxedes virgines Romanæ, Pudente, Christiano homine, pioq. viro, quem

B. Pau-

B. Paulus Apost. baptizauit, natæ, præter alia christianæ humanitatis, & pietatis munera, quibus in Antoniana persecutione fideles iuuabant, plurima ss. Martt. corpora funerarunt. Beda, B. R. & alij.

Cyriaca vidua Rom. cum se, suasq. omnes facultates in ss. ministeria impendisset, demum Imp. Valeriano, fidei aduersario, pro Christo martyrium subiens, vitam quoque ipsam libenter impendit: in cuius prædio extra portam Exquilinam, via Tiburtina in agro Veranio visitur ipsius nomine cœmeterium, quæ Crypta Tiburtina nuncupatur; vbi & ab ipsa B. Cyriaca, & ab alijs multa Sanctorum corpora iuxta sacrosanctas B. Laurentij archidiaconi, & martyris reliquias posita esse traduntur. Martyrol. & Surius.

Eugenia virgo Rom. ob Christianæ fidei cōfessionem iugulata, Galieno Imp. via Latina in suo prædio, quo ipsa multorum Martt. corpora intulerat, sepulta est, Beda viij. kal. Ianuarij.

Appollonia religiosa matrona B. Anastasiæ mart. sacrum corpus exosculans, aromatibus condiens, & mundis linteaminibus obuoluens, iuxta domus suæ viridarium constructa basilica, ita, vti martyrem decuit, sepulturæ tradidit. Beda ibidem.

Octauilla primaria femina B. Pancratij pueri sub Diocletiano pro fide occisi, venerandum corpus per noctem abstulit, aromatibusq. con-

ditūm, via Aurelia ad secundum lapidem religiose funerauit. Beda.

Rufina, matrona venerabilis, corpora ss. martt. Cypriani, & Iustinæ virginis, qui post varia tormenta Christi causa fortiter tolerata, demum Diocletiani mandatu, Nicomediam missi, gladioq. percussi fuerant, noctu à Christianis nautis rapta, Romamq. deportata cum essent, pie ac reuerenter excepit, suoque in prædio de more humauit. Beda, & alij.

Serena Augusta, Diocletiani Imp. vxor, à s. Cyriaco ad Christū traducta, fideiq. præceptis instituta, cum B. Susanna virgo Rom. eodem Imp. iubente, post alia tormenta domi suæ ob Christi cultum gladio percussa, euolasset in cælum, eius sanguinem suo ipsa absterſit velamine, atque in argentea capsella reconditum, in suo palatio collocauit, vbi diu noctuq. furtiuis horis Deum suppliciter precabatur: corpus autem eadem suis manibus exornauit, atq. vnguentis delibutum, linteoq. inuolutum, iuxta Sanctorum reliquias in Alexandri cœmeterio funerauit. Beda, & Vsuardus iij. Id Augusti, item Surius.

Postremo, vt alias omittam, Eusebia religiosa mulier, Amaseæ in Pōto s. Theodori militis, quòd fanum Idolorum incendisset, & Christum coleret, Maximiano Cæsare interfecti, corpus sindone contectum, in suo prædio sepeliuit, V. Id. Nouembris. B. R.

Quorsum, dicet aliquis, tam longa narratio?

vt

vt videlicet intelligatur, quanto ſtudio,& veneratione veteres illi Chriſtiani Sanctorum corpora proſequerentur,quantaq. cura,& reuerentia funerarent. Condiebant enim, vti ex teſtimonijs ſuperius allatis,intelligere licuit, ſacras reliquias aromatibus,aliiſq. odoribus;& pretioſo quodam opertas velamine(quod ex ss.Abundij,& Abundantij reliquiarum prima inuentione planum fit) condebant,vaſculis etiam aureis interdum incluſas:quod ex s.Hieronymi contra Vigilãtium libro animaduerti poteſt. Officium autem ſepeliendi mortuos olim certi homines obierunt, quos κοπιάτας, hoc eſt laborantes, s. Epiphanius in Compendiario de Doctrina Chriſtiana, κοπιῶντας B. Ignatius in epiſt.ad Antiochenos appellat: vt prætere am breuitatis cauſa tot cœmeteria ad condenda fidelium corpora,à maioribus vbiq. terrarum ædificata. Nam Romæ, quod ex ſactis Annalibus, & Martyrologiis conſtat,ad xlvij.eaq. nobilia numerabantur.In Africa itidē fuiſſe B.Auguſtinus,& Optatus Mileuitanus,Antiochiæ Euagrius, Alexandriæ in Aegypto s.Athanaſius, in Gallia Gregorius Turonen. in omni deniq. Chriſtiana prouincia,& illa quidem extra vrbem poſita eſſe, s. Ioannes Chryſoſtomus lib.de Fide,teſtatur;eaq. partim ciuium, partim peregrinorum fuiſſe,idē Gregor.Turonenſis affirmat.

M ¶ *In cliuo Cucumeris,in crypta.*] Illic cœmeterium fuiſſe demonſtrauimus, vnum ex quinq.

illis,

illis, quæ in via Salaria exſtructa erant. De hoc legitur etiam apud Surium in geſtis B. Laurentij, vbi dicuntur obtrūcati pro fide milites xlvi. à s. Dionyſio Pont. baptizati; quorum corpora cum Iuſtinus presb. & Ioannes noctu collegiſſent, in crypta multis præſentibus Chriſtianis, via Salaria in cliuo Cucumeris cōdiderunt, viij. kal. Nouemb. vbi florent, inquit, orationes eorum vſq. in hodiernum diem, cū aliis C X X. Martyribus. Cliuum autem Cucumeris dictū propterea exiſtimarim, quod vel ibi ſeri conſueuiſſet, vel in ipſo cliuo, hoc eſt, collis procliuitate, ac pronitate à vertice, vel iuxta eſſet depictus, aut ſculptus in aliquo ædificio, ſeu pariete Cucumis: quo modo in vrbe vici fuerunt, quorum nomina legūtur, Vrſus pileatus, Caput Tauri, caput Mineruæ, Trium alitum; ſicut etiā Porticus Argonautarum; locus item, qui dicebatur, Inter duas lauros, Malum punicū, & cet.

Cryptæ, de quibus Vitruuius lib. vi. cap. viii. meminit, Foſſæ dicuntur teſtudinatæ, ſubterraneæ, aut concaua loca, & ſcrobes, vbi triticum conditur. Quidam enim, vt Varro ſcribit cap. lvii. lib. i. de re ruſtica, habent granaria ſub terris vti ſpeluncas, quas vocant Siros. Alij ad id puteis vtuntur. Huiuſmodi autem loca abdita, & concamerata ad fructus ſeruandos magis, quàm ad elegantiæ decorem fieri exiſtimantur. Pro Cryptoporticu etiam videri poteſt hanc vocem poſuiſſe Vitruuius.

Tales

Tales cryptæ erant ſæpe iuxta ſacra cœmeteria, aliquando in iiſdem; nonnunquam etiam cœmeteria ipſæ erant cryptæ; id quod ex vitis Pontt. & martyrologijs facile declaratur. Nam s. Cornelij corpus in crypta prope Calliſti cœmeterium; Zoſimi, Xyſti iij. & Hilarij Pontt. & aliorum complurium reliquias in Crypta Tiburtina (quæ à quibuſdam cœmeterium Cyriacæ nominatur, ab alijs iuxta ipſum cœmeteriū in via Tiburtina collocatur) ſiue in baſilica S. Laurētij, iuxta cryptam; S. Marcellini in cœmeterio Priſcillæ via Salaria in crypta reconditas fuiſſe docuimus. Cœmeterium quoq. Calliſti ad Catatumbas via Appia ſecundo ab vrbe lapide; crypta eſt, vt videmus. Vnde B. Xyſtus ij. Pōt. & mart. in geſtis B. Laurentij apud Surium legitur ſepultus in crypta, in cœmeterio Calliſti. Et via Salaria in cœmeterio Cucumeris cryptā fuiſſe, ſuperius annotauimus. Cœmeteriū item B. Lucinæ Apoſtolorum diſcipulæ, vnum ex quinque in via Aurelia poſitis, ab ipſa ædificatum, crypta etiam in Martyrologijs prid. Kal. Iulias, nuncupatur.

Huiuſmodi prætérea cryptæ, vt ex iiſdem Martyrū libris animaduertimus, erāt ipſæ fere arenariæ, hoc eſt, Fodinę, vnde arena fodiebatur, quæ proximæ vijs publicis non longe ab vrbe diſtabant: Cicero in orat. pro Cluentio; Aſinius autem, inquit, breui illo tempore, quaſi in hortulos iret, in arenarias quaſdā extra portam Ex-

quilinam perductus, occiditur. Varro etiam lapidicinas, & arenarias negat ad agriculturam pertinere. Vitruuius lib. ij. cap. iv. & vi. arenaria vocat.

Quocirca s. Serena Augusta, vt est apud Surium volumine iv. corpus B. Susannæ virg. & mart. sicut paulo superius diximus, in cœmeterio Alexandri in arenario in crypta iuxta B. Alexandrum honorifice collocauit, iij. Id. Augusti.

Beatum Tertullinum presb. Impp. Valeriano, & Galieno, pro Christi gloria obtruncatum, s. Stephanus j. Pont. via Latina in crypta arenaria tumulasse dicitur à Beda, & Maurol. Prid. Non. Aug.

Eodem Pontifice Diodorus presb. Marianus Diac. & socij, cum in arenario natalicia Martt. ageret, obstructa à fidei hostibus ianua cryptæ, & diruta superne mole, martyrium obiere, xvi. Kal. Febr. M.R.

Sanctorum item Martt. Narcissi, & Crescentionis, qui in gestis B. Laurentij nominantur, sacra corpora in crypta arenaria sepulta traduntur, xv. Kal. Octob.

Beata Symphorosa Hadriano Cæsare, Licinio Præfecto, viri sui Getulij martyris, sociorumq. corpora cum pie sustulisset, in arenario prædij sui honorifice sepeliuit, iv. Id. Iun. Beda, & M.R.

Sanctorum quoq. Martt. Seueri, Seueriani, Carpophori, & Victorini fratrũ reliquiæ Diocletiano Cæsare canibus obiectæ, cũ ab illis in-

tactæ diu fuiſſent, tãdem à Chriſtianis ſublatæ, via Lauicana, iii. ab vrbe lapide in arenaria funerantur iuxta ſepulcrum ss. Martt. Claudij, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtorij, & Simplicij, qui ſub eodem Imp. paſſi erant. B. R. vi. Id. Nouẽb.

SS. Chryſanthus, & Daria coniuges in arenariam, quæ eſt via Salaria, ducti, effoſſa humo, lapidibus obruti, martyrij coronam tulerunt, viij. Kal. Nouemb. B. R.

Theodorus j. Pont. Sanctorum Martt. Primi & Feliciani reliquias ex arenario viæ Nomentanæ in vrbem deferẽs, in baſilica s. Stephani promart. quæ eſt in Cælio mõte, à s. Simplicio j. Pont. dedicata, collocauit, multiſq. ex argento auroq. ornamentis honorauit.

Poſtremo in B. Laurentij geſtis legitur & illud, In vico Patricij chriſtianos promiſcui ſexus ferme lxxiij. in cryptam Nepotianam conueniſſe, quos S. Laurentius adierit, pedes ſingulis viris exoſculans lauerit, inde digreſſus, & s. Xyſtũ, qui ad ſupplicium ducebatur, aſſecutus extra portam Capenam ad templum Martis, illis verbis compellauerit; Noli me derelinquere, Pater ſancte, & cet. Erant ergo cryptæ, atq. arenariæ priſcis fidelibus, perſecutionum temporibus, pro oratoriis, pro eccleſiis, pro latebris, pro ſepulcris.

N § *Cum gloria illic celebraſſet diuina myſteria in pace.*] His verbis venerandum Miſſæ ſacrificium ſignificatur: atq. ita fere veteres loquebantur.

tur. Nam, vt Metaphrastes apud Surium vol. v. refert, B. Autonomus Episc. ex Italia Diocletianæ persecutionis impetum declinans, in Bithyniā cum profugisset, ad altare mactatus dicitur, dum mysticum celebraret ministerium: quo loco ab eodem Metaphraste Incruentum sacrificium, & sacra mystica nuncupantur: & in gestis B. Laurentij scriptum est, Iustinum presb. cum Hippolyto fortissimi archidiaconi, de quo supra memorauimus, reliquiis ad vesperum conditis, ieiunātem celebrasse vigilias noctis triduo cum magna christianorum frequentia, nec cessasse à luctu, & lacrymis: ipsumq. obtulisse laudis sacrificium, cuius fuerint omnes participes facti. Eadem sacra mysteria vocat Ecclesia, vt alias appellationes omittam. Est autem is ritus sane quam vetus: quippe cum Felix j. Rom. Pont. qui Aureliano Cæsare martyriū obiit, anno Domini CCLXXIIII. sanxerit, vt missa supra, vel circa memorias, martyria, & sepulcra Martyrū celebraretur. Id hoc loco à Ioanne presb. factū indicatur, qui supra illorum xxiij. Martyrum memoriam, statim diuinum Missæ sacrificium Deo obtulisse perhibetur.

O ¶ *Et præsentari in Tellude in foro ante templum.*] In codicibus Arinianensi, & Romano legitur, Interlude: Nos, vt librariorum mendum corrigeremus, vocemq. ignotā penitus, & solœcismum tolleremus, in Tellude, reposuimus, ex gestis B. Laurentij, vbi sic scriptum inuenimus;

Iussit

Iussit autem Decius omnem senatum conuocari: fecitq. conuentum in Tellude cum Valeriano præfecto, sexto kal. Augusti. Ibi tum, eo mandante, præsentati sunt ei Abdon, & Sennes subreguli christiani, quos de Perside adduxerat, diuersis pœnis maceratos. Et post pauca,

Eodem tempore Decius Cæsar, & Valerianus præfectus iusserũt sibi Xystum Episcopum cum clero suo præsentari noctu in Tellude. Et paulo inferius,

Eadem hora Laurentio è crypta Nepotiana exeunte, B. Xystus iterum ducebatur in Telludem, vt audiretur, & cum eo Felicissimus, & Agapetus.

Telludem autem dictam opinor, quasi Telluris ædem. Huic opinioni suffragatur exẽplar Senense, in quo scriptum est, In Tellure; nisi velimus, In Tellude, quoque erratum esse, scriptumq. per incuriam, In Tellude, pro, In Tellure; quod, vt affirmare non audemus, sic aliorum iudicio permittimus.

Fuerunt igitur ss. Abundius, & Abundantius Diocletiani mandatu è carcere adducti in Forum Cæsaris ante templũ Telluris, aut, Ante templum Telluris, quod erat in foro. Et licet fora, in quibus iudicia exercebãtur, quinque tunc Romæ fuisse legamus, Romanum, Cæsaris, Augusti, Neruæ, siue Transitorium, & Traiani; templa item (id est loca, quibusdam conceptis verbis ab Augure definita, & constituta, ut

ait Varro lib. vi. de ling.lat.in quibus templis dumtaxat, & non alibi, haberi senatus poterat) cōplura, vt Aedem Iouis Statoris, Concordiæ, Castoris, Telluris, & alia: hoc tamen loco neq; aliud forum, quàm Cæsaris, neque aliud templum, quàm Telluris, videtur intelligendum. Id etenim forum ab omnibus, præter Pyrrhum Ligorium, in ea parte collocatur, qua pone ss. Cosmæ, & Damiani ædem, hortos videmus.

Templum vero, seu Aedem Telluris, in qua S.C. factū esse Cicero I. & II. Philipp. dicit, & senatum à Decio Cæsare habitum, supra retulimus, huic foro proximā fuisse apparet. Nam à Sexto Rufo, & P. Victore in iiij. Regione vrbis, quod Templum pacis vocabatur, locatam videmus: & idem Cicero in oratione pro Domo sua, Sp. Cassij, inquit, domus ob eamdem causam euersa, atq. in eodem loco Aedes posita Telluris. Liuius lib. II. Damnatumq. populi iudicio, dirutas publice ædes; ea est area ante Telluris Aedem. Dionysius lib. viii. Post Cassij necem, & domus eius euersa est, & hucusq. subdialis relinquitur. Is locus extra Telluris ædem est, quam postea exstruxit ciuitas, secundum eam viam, qua itur ad Carinas.

Ex quibus Dionysij verbis intelligimus, eam ædē extra Carinas fuisse; nec aliter Suetonium sensisse, cum in lib. de Illustribus Grammat. Lenæum Pompeij Magni libertum tradit, ad Telluris ædem docuisse in Carinis; quas cum anti-

qui-

quitatis studiosi in eam Exquiliarum partem protendant, quæ ad Palatium vergit, ædemque Telluris ponant prope eum locum, vbi nunc S. Pantaleonis cernitur templum, non longe à cliuo, qui ducit ad B. Petri vincula; necesse est Telluris templum ad Cæsaris forum fuisse.

P ¶ *Si isti extincti non fuerint, non erit clarus timor.*] Imo vero si extincti fuerint, erit clara, atq. perspicua vt illorum virtus, & constantia, sic veri Dei potentia, & sapientia. Hoc idem Decius Imp. olim Valeriano præfecto dixerat, cum libera B. Xysti respõsione commotus, Hic, inquit, si extinctus non fuerit, non erit vllus euidens timor. Putabant immanissimi Tyranni suppliciis martyrum id se consecuturos, vt homines à Christi cultu deterrerentur. Sed nõ est consiliũ contra Dominum, vereq. in extremo Apologetico Tertullianus pronunciauit, Martyrum sanguinem semen esse Christianorum.

Q ¶ *Leuari in Equuleo.*] Equuleus proprie per deminutionem, sicut equulus, dictus est pullus equinus, vt apud Cic. in iii. Tusculana; & in Hortensio, & Liuius lib. xxiij. Ad Sinuessam bos equuleum peperit. Est etiam equuleus, velut hoc loco, tormenti genus, ab equi similitudine, vt quidã volũt, appellatũ, quasi paruus equus; quo sensu scribitur & eculeus. Erat autem siue machina lignea equo similis, cui alligati rei torquebantur; siue stipes, cui velut equo impositi variè cruciabantur, & distendebãtur: quemadmodum

ex supplicio S. Romani martyris, ab Aurelio Prudẽtio elegãter descripto, apparet, vbi Equuleus à Poeta Noxialis stipes vocatur.

Incensus, inquit, *his Asclepiades iusserat*
Euiscerandum corpus equuleo eminus
Pendere, & vncis, vngulisq. crescere.
Apparitores sed furenti suggerunt
Illum vetusta nobilem prosapia,
Meritisq. multis esse primum ciuium.
Iubet amoueri noxialem stipitem,
Plebei clarum pœna ne damnet virum.

Suspensi enim & alligati manibus & pedibus ad eum stipitem, dum torquerentur, crescere, & extendi videbantur. Alij definiunt, Genus tormenti, quo vinctis supernè manibus, & appensis vtriq. pedi grauissimis ponderibus, homo pendens immaniter torquetur.

Carolus Sigonius, vir cum ingenio præstanti, & eruditione varia præditus, tum omnis antiquitatis peritissimus, in iij. lib. de Iudicijs cap. xviij. De tormentis in eculeo, ex veterum monumentis, Eculeum fuisse definit catastam ligneam, cochleatam, ad intendendum ac remitdum aptam, atq. ad torquendos homines institutam.

Tormenti vero genus fuisse huiusmodi. Vbi catastæ huic brachia, pedesq. eius, qui torquendus erat, neruis quibusdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligauerant, tum catasta intenta, atq. in altum erecta, vt ex ea, quasi ex cruce quadam,

miser

miser ille penderet, primum compagem ipsam ossium eius diuellebant, deinde candentes laminas eiusdem corpori admouebant, tum bisulcis vngulis ferreis latera excarnificantes, doloris acerbitatem augebant.

Ac ligneam quidem catastam fuisse, atq. in sublime tolli solitã, aperte ostendunt Sozomenus, Eusebius, & Prudentius. Sozomenus enim hist. ecclesiasticæ lib. v. cap. ix. de Busyri, christiano homine ex vrbe Galatiæ Ancyra, apud Misum Phrygiæ vrbem sub Imp. Iuliano Apostata pro fide cruciato loquens, Eculeũ βασανιστήριον ξύλον, id est, tortorium lignum, appellat; vbi interpres sic vertit;

Et cum eum, inquit, publice produxisset, ad lignum, cui torquendi alligari solebant, suspendi iussit. Busyris vero manibus in caput sublatis, latera sponte sua nudauit, & ad Præsidem dixit, Non esse lictoribus frustra in eo elaborandum, vt se ad palum suspenderent, ac rursum demitterent. Etenim ad hoc se paratum esse, vt sine illo, quantumcunq. vellet, latera sua tortoribus exhiberet. Et cap. xxi.

Ex Christianis in vincula cõditis Theodorum adolescẽtem primo loco productum, ad palum, in quo supplicia solebant inferri, alligat. Hic vngulis diu laceratus, & cet. Eusebius lib. v. hist. eccl. cap. j. ex epist. Gallicana superius citata; Cũ autem, inquit, tyrannica illa tormenta per beatorum patientiam à Christo essent abrogata,

 alias

alias machinas excogitauit diabolus; nempe vt in carceres coniecti fideles, locis tenebrosis ac molestissimis includerentur, in equuleo pedibus ad quintum vsq. foramen extenderentur.

Quibus verbis significat Eusebius tum summe distentum, cum ad quintum foramen peruenisset. Horum auctorum sententiam confirmat Prudentius in carmine supra inserto, ex hymno S.Romani, vbi paulo post, qui in eculeum esset coniectus, ex eo, quasi ex alto ligno pependisse ostendit apertius; cum eumdem martyrem ex eculeo ita vociferantem inducit;

Audite cuncti, clamo longe, ac prædico;
Emitto vocem de catasta celsior.

Qua de causa eumdem antè pensilem virum dixerat:

Scindunt vtrumq. milites teterrimi
Mucrone hiulco pensilis latus viri:

Eamdem vero machinam cochleatam fuisse, ex versu veteris poetæ Pomponij elicitur; qui à Nonio Marcello profertur:

Et vbi insilui in cochleatum eculeum,
Ibi tollutim tortor. Id est, torqueor.

Quod autem brachijs pedibusq. catastæ fidiculis alligatis, eculeus intentus ossium commissuras cum dolore distraxerit, ex multis locis cognoscitur; primum ex eodem hymno Prudentij, vbi fortissimus martyr ita ex eculeo loquitur;

Miserum putatis, quòd retortis pendeo

Ex-

Extentus vlnis, quòd reuelluntur pedes,
Compago neruis quòd sonat crepantibus.
deinde ex hymno eiusdem poetæ de B. Vincentio, in quo ita tyrannus imperat;
Vinctum retortis brachijs
Sursum, ac deorsum extendite,
Compago donec oßium
Diuulsa membratim crepet.
Quibus verbis satis, quæ figura fuerit eius, qui in eculeo torqueretur, ostenditur, cum se pendere brachijs, pedibusq. retortis extentum ait, neruis scilicet, quibus deuincta membra erant, propter summam intentionem crepantibus.

A neruis autem, siue fidiculis, quibus membra eculeo adhærebant, nullum alium cruciatū, nisi distensionis, esse profectum apparet. Vnde Isidorus lib. v. Etymologiarū, eculeum dictum, quòd extendatur, affirmat.

Vt autem incitandi doloris causa eculeus, aut fidiculæ tendebantur; sic eiusdem remittendi, eadem laxabantur. Qua de re Valerius lib. iij. cap. iij. de patientia, ita scribit; Zeno cum à Nearcho tyranno, de cuius nece consilium inierat, torqueretur, supplicij pariter, atq. indicandorum gratia consciorum, doloris victor, sed vltionis cupidus, esse dixit, quod secreto audire eum admodum expediret; laxatoq. eculeo, postquam insidijs opportunum tempus animaduertit, aurem eius morsu corripuit, nec ante dimisit, quàm & ipse vita, & ille corporis parte pri-

uaretur. Et paulo poſt, In Theodoro quoq. viro grauiſſimo Hieronymus tyrannus tortorum manus fruſtra fatigauit. Rupit enim verbera, fidiculas laxauit, ſoluit eculeum, laminas extinxit prius, quàm efficeret, vt tyrannicidij conſcios indicaret. Et Quintilianus declamatione vltima ſic; An tu quæſtionem illam fuiſſe credis, qualis vernilibus corporibus adhibetur? Ideo enim eculeum mouebam artifex ſenex, tenebam fidiculas ratione ſæuitiæ, vt leniter ſedibus ſuis remota compago per ſingulos artus membra laxaret. Ex quibus verbis, qui in laxando eculeo leniter fidiculas remiſiſſet, eum aliqua ex parte doloris acerbitati conſuluiſſe apparet. Et Seneca lib. ix. epiſt. lxviii. Hoc nobis perſuadere conaris, nihil intereſſe, vtrum aliquis in gaudio ſit, an in eculeo iaceat, aut tortorem ſuum laſſet. & epiſt. lxix. Neminem certe adhuc ſcio eo nomine votum ſoluiſſe, quòd flagellis cæſus eſſet, aut podagra diſtortus, aut eculeo longior factus. Colligitur idem ex Plauti Aſinaria, act. ii. ſcena ii.

Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.
Li. Quo argumento iſtuc? Le. ego dicam, quo argumento, & quomodo.
Ad pedes quando alligatum eſt æquum centupondium,
Vbi manus manicæ complexæ ſunt, atq. adductæ ad trabem,

Nec pendes, nec propendes, quin malus nequamque sis.

Postremo laminarum candentium, & vngularum effodientium testimonia exstant cum alia multa, tum B. Cypriani lib. ii. epist. ad Donatū; Hasta illic, & gladius, & carnifex præsto est: vngula effodiens latera, & deradens, eculeus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus vnum supplicia plura, quā mēbra. Et Serm. v. de Lapsis; Sed cū durissimi Iudicis recrudescēte sæuitia iā fatigatū nunc flagella scinderent, nūc contunderēt fustes, nunc eculeus extenderet, nunc vngula effoderet, nunc flāma torreret. Et in lib. de laude martyrij: Hoc vero, quòd eculeo corpus extēsum candentes stridet ad laminas, non exempti sanguinis, sed tentationis est causa. Et s. Augustinus epist. clviij. Quando tantorum scelerum confessionem non extendente eculeo, non sulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, sed virgarū verberibus eruisti. Quæ sententia refertur etiam in Decret. Causa xxiii. quæst. v. cap. Circumcelliones. Et Ammianus Marcellinus lib. xiiii. Intendebantur eculei, vncosq. parabat carnifex, & tormenta. Et Prudentius in hymno S. Vincentij;

Extorque, si potes, fidem.
Tormenta, carcer, vngulæ,
Stridensq. flammis lamina,
Atq. ipsa, pœnarum vltima,
Mors Christianis ludus est. Et post:
Ridebat hæc miles dei,

Manus cruentas increpans,
Quòd fixa non profundius
Intraret artus vngula. Et ĩ hymno B. Romani:
Amor coronæ pæne præuenit trucem
Lictoris artem, sponte nudas offerens
Costas bisulcis execandas vngulis. Et infra:
Non vngularum tanta vis latus fodit
Mucrone, quanta dira pulsat pleuresis,
Nec sic inusta laminis ardet cutis,
Vt febris atro felle venas exedit.
Et Cicero vii. in Verrem; Quid, cum ignes, ardentesq. laminæ, ceteriq. cruciatus admouebantur? Et in Antonium Philipp. xi. Ponite ante oculos vincula, verbera, eculeum, carnificem, tortoremque Samarium. Et Seneca libro iij. de Ira, cap. iij. Apparatusq. illi reddẽdus est suus, eculei, & fidiculæ, & ergastula, & cruces, & circumdati defixis corporibus ignes, & cadauera quoq. trahens vncus, et cet. & cap. xix. Torserat per omnia, quæ in rerum naturá tristissima sunt, fidiculis, tribularibus, eculeo, igne, vultu suo.

Extorquendæ autem de seruis veritatis causa, eculeum adhibitum fuisse docet Cicero pro Deiotaro, vbi ait; Cum more maiorum de seruo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat; in qua quæstione dolor veram vocem elicere possit etiam ab inuito; exortus est seruus, qui, quem in eculeo appellare non posset; eum accuset solutus. Et pro Milone; Sed quæstiones

vr-

vrgent Milonem. quibusnam de seruis? item; Facti in eculeo quæstio est, iuris in iudicio. Idem Tusculana v. & li. iv. de Finib. meminit. & Asconius, De seruo Alicore quæstio ita habita, vt is articulatim consecaretur. Translatus est postea eculeus ad cruciãdos homines, & acerbiore supplicio afficiẽdos; id quod in Christianis martyribus patuit. Quam ob causam crebra eius fit mentio in Martyrologijs, vt videmus, in quibus illa identidem inculcantur, Equuleo tortus, equuleo cruciatus, in equuleo suspẽsus, in equuleum leuatus, in equuleum actus, & cet.

Noua equulei forma in Anglia aduersus homines orthodoxos hoc ipso tempore vsurpatur, dum hæreticorum impietas infernis percita furijs quotidie sæuit in sanctos, & nefarijs, funestisq. legibus, ac edictis catholicos, & religiosos vrget, premit, exagitat, deniq. vsq. ad extremum spiritum inusitatis cruciamentis, suppliciisq. ita persequitur, vt Constantij, Iuliani, Valentes, Vandali (quorum fuit olim aduersus rectam fidem præter ceteros nobilitata crudelitas) præ ista bellua, humani, ac mites quodammodo censendi esse videantur. Sed Christo opt. max. immortali, ac semper triumphatori gratiæ: Quandoquidẽ hæc etiam tempora gloriosos Martyres, & præclaros veræ fidei Athletas tulerũt, feruntq. quotidie, qui catholicæ religionis nomen virtute constantiæ, ac sanguinis profusione illustrant.

R ¶ *In uiam Flaminiam.*] Hæc via, cuius initiũ à porta olim Flumentana, nunc Populi dicta (prolato nimirum à Belisario postremum Pomerio, vrbisq. in ea parte ambitu aucto) ab auctore nomen accepit, quem Strabo lib. v. C. Flaminium, C. Flaminij, qui iterum Consul ad lacum Thrasymenum cum xv. millibus Romanorũ ab Annibale cæsus est, filium, & M. Aemilij Lepidi in cõsulatu collegam, scribit. L. vero Florus ex Liuio in Epitome lib. xx. Sex. Põpeius Festus, & Cassiodorus ab ipso C. Flaminio patre, Censore cum L. Aemilio Papo, ex Gallorum, de quibus triumpharat, manubiis anno vrbis DXXXIIII. viam Flaminiam stratam è Roma per Tusciam, & Vmbriam vsq. Ariminum, tradunt. Fieri autem potest, quod Panuinius cẽset, vt à patre quidem inchoata, à filio autem perfecta, aut partim à patre, partim à filio ducta sit, qđ indicare videtur Liuius lib. xxxix. Apuanis Liguribus, inquit, domitis, C. Flaminius Cos. pacem dedit finitimis, &, quia à bello quieta vt esset prouincia, effecerat, ne in otio militem haberet, viam à Bononia perduxit Arretiũ, & cet. Flaminiam porrò ab Augusto instauratam fuisse Suetonius cap. xxx. docet his verbis; Quo autem facilius vndiq. vrbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.

Huius viæ sæpe meminit Cornelius Tacitus, quam

quam ponti Miluio impoſitam ſcribit. Aliquæ in agro Etruſco adhuc exſtāt reliquiæ; plurima etiam in ea cernuntur veterum ſepulcrorum veſtigia. Fuiſſe præterea & ad nonum lapidem villam Cæſarum, quæ ad Gallinas dicebatur, auctor eſt Plinius lib.xv.cap.vlt. & Tranquillus in Galba: et loca quædam deuexa, & accliuia, quæ per ſimilitudinem Clitellæ vocarētur, Sex. Pompeius teſtatur: & alterius loci, quæ Saxa rubra nominantur, apud Cic. in ij. Philip. & Liuium lib.ij.&Cornelium Tacitum lib.xix.mentio fit: & ſepulcrorum Pantomimi Paridis Aegyptij, Neronis liberti, & Glauciæ, liberti Melioris meminit Martialis lib.vi. & xi. & Statius ij. Siluarum.

Sed omnia Ethnicorũ monumenta longe ſuperat beatiſſimorum Chriſti martyrũ profuſus ſanguis, quo hæc via cruentata eſt, & nobilitata; vt horum, & s. Valentini presb. qui cum Aſteriũ præfectum, pulſa eius filiæ cæcitate, ad Chriſtũ traduxiſſet, Claudio Cæſare, chriſtianæ fidei accuſatus, ſecuri percuſſus eſt extra muros vrbis in via Flaminia prope pōtem Miluiũ, vbi poſtea eius nomine eccleſia à Theodoro I. Pont. max. anno Domini circiter DCXLV. conſtructa eſt, & à Benedicto ij. reſtituta, & exornata; ac non longe cœmeterium etiam à s. Iulio I. Pont. ante annos CCC. fuerat ædificatum. Platin. & Panuin.

S ¶ *Decimo ab vrbe milliario.*] In Senenſi exemplari

plari

plari legitur, vno milliario: sed perperam sine dubio, & mendose, cum id sequenti narrationi repugnet. Romanum habet, xiiij, quod quidem reprehĕdi non potest; sed vtro modo scribatur x. an xiiij. parum, aut nihil penitus refert: neutrum enim ab historiæ veritate dissentit.

T ¶ *Iuxta ciuitatem Lubras.*] Legitur etiā Lubram numero singulari: cuius vrbis apud scriptores mentio nulla inuenitur; ex quo verisimile fit, nouum ea tempestate, & exiguum fuisse oppidum; nonnulli ad læuam viæ Flaminiæ ab Roma proficiscentibus, xij. fere milliario, circa ea loca fuisse suspicantur, vbi nunc quingentis à via passibus parua quædam ædificiorum vestigia, & ruinæ cernuntur.

V ¶ *Marcianus clarissimus vir.*] Romanus, vt creditur, & qui fortassis prædia ad Lubram haberet. Ceterum alij in Martyrologijs Marciani nominantur, & quidem martyres nōnulli, vt is, qui Terdonæ Episcopus Traiano Cæsare pro Christi gloria martyriū subijt prid. Non. Mart. & qui Romæ cum Petro, Iouino, Thecla, Cassiano, & Theorico varie cruciatus, pro Christo mortem oppetijt vij. Kal. April. & qui in Aegypto cum Nicandro, & Apollonio in Maximiana persecutione cæsus est Non. Iun. & qui in eadem prouincia cum Marco fratre, sociisq. innumerabilibus ob Christi confessionem varie tortus, martyrij cursum confecit iiij. Non. Octob. & qui Nicomediæ cum Luciano, Floriano,

no, Heraclio, Floro, & Vrſa virgine pro veri Dei cultu fortiter pugnans, occubuit vij. Kal. Nouemb. & qui in Africa cum Satyriano fratre in perſecutione Vandalica Genſerici Regis imperio pro fide catholica quadrigis per ſpineta raptatus, martyrij coronam accepit, xvii. Kal. Nouemb. Nonnulli confeſſores, vt is, qui B. Petri Apoſtolorum Principis diſcipulus, Syracuſanæ vrbis Epiſcopus ab eo conſecratus, magnam hominum multitudinem ad Chriſti fidem traduxit: & qui Rauennæ Epiſcopus à Deo demiſſa columba electus eſt: & qui Antiſiodori presb. vita pie ſanćteq. acta, quieuit in Domino.

Vt ſileantur alij Marciani, qui à chriſtiana religione abhorrentes, diuerſis temporibus, diuerſiſq. in Prouincijs, cũ Præſidis, aut Præfecti munere fungerẽtur, Chriſtianos vexarunt: vt is, qui, Diocletiano Cæſare, Syriæ præfuit, & Celſum filium puerum, & Iulianum, eiuſq. coniugem Baſiliſſam virginem, quòd Chriſtũ Ieſum libere confiterentur, occidit, v. Id. Ianuar. & qui Ciliciæ Præfectus Iulianum item Idolorum cultus deteſtantem, & in Chriſti confeſſione conſtantem, culeo inſutum in mare demerſit xvij. kal. April. & qui Spoleti Præſes Diocletiano Imperatore, Carpophorũ presb. & Abundium Diac. de quibus ſupra memorauimus, martyrio affecit, iv. Id. Decemb. & cet.

X ¶ *Obtulit eis vrceum cum aqua.*] Id ipſum antea à B. Romano martyre factum in geſtis S. Lau-

plari legitur, vno milliario: sed perperam sine dubio, & mendose, cum id sequenti narrationi repugnet. Romanum habet, xiiij, quod quidem reprehẽdi non potest; sed vtro modo scribatur x. an xiiij. parum, aut nihil penitus refert: neutrum enim ab historiæ veritate dissentit.

T ¶ *Iuxta ciuitatem Lubras.*] Legitur etiã Lubram numero singulari: cuius vrbis apud scriptores mentio nulla inuenitur; ex quo verisimile fit, nouum ea tempestate, & exiguum fuisse oppidum; nonnulli ad læuam viæ Flaminiæ ab Roma proficiscentibus, xij. fere milliario, circa ea loca fuisse suspicantur, vbi nunc quingentis à via passibus parua quædam ædificiorum vestigia, & ruinæ cernuntur.

V ¶ *Marcianus clarissimus vir.*] Romanus, vt creditur, & qui fortassis prædia ad Lubram haberet. Ceterum alij in Martyrologijs Marciani nominantur, & quidem martyres nõnulli, vt is, qui Terdonæ Episcopus Traiano Cæsare pro Christi gloria martyriũ subijt prid. Non. Mart. & qui Romæ cum Petro, Iouino, Thecla, Cassiano, & Theorico varie cruciatus, pro Christo mortem oppetijt vij. Kal. April. & qui in Aegypto cum Nicandro, & Apollonio in Maximiana persecutione cæsus est Non. Iun. & qui in eadem prouincia cum Marco fratre, sociisq. innumerabilibus ob Christi confessionem varie tortus, martyrij cursum confecit iiij. Non. Octob. & qui Nicomediæ cum Luciano, Floriano,

no,Heraclio,Floro, & Vrsa virgine pro veri Dei cultu fortiter pugnans, occubuit vij. Kal. Nouemb. & qui in Africa cum Satyriano fratre in persecutione Vandalica Genserici Regis imperio pro fide catholica quadrigis per spineta raptatus,martyrij coronam accepit,xvii. Kal. Nouemb. Nonnulli confessores, vt is, qui B. Petri Apostolorum Principis discipulus, Syracusanæ vrbis Episcopus ab eo consecratus,magnam hominum multitudinem ad Christi fidem traduxit: & qui Rauennæ Episcopus à Deo demissa columba electus est: & qui Antisiodori presb, vita pie sanctéq. acta,quieuit in Domino.

Vt sileantur alij Marciani,qui à christiana religione abhorrentes, diuersis temporibus, diuersisq. in Prouincijs,cũ Præsidis, aut Præfecti munere fungerẽtur,Christianos vexarunt: vt is, qui,Diocletiano Cæsare,Syriæ præfuit, & Celsum filium puerum, & Iulianum, eiusq. coniugem Basilissam virginem, quòd Christũ Iesum libere confiterentur,occidit,v. Id.Ianuar. & qui Ciliciæ Præfectus Iulianum item Idolorum cultus detestantem, & in Christi confessione constantem, culeo insutum in mare demersit xvij. kal. April. & qui Spoleti Præses Diocletiano Imperatore,Carpophorũ presb.& Abundium Diac. de quibus supra memorauimus, martyrio affecit,iv.Id.Decemb.& cet.

X ¶ *Obtulit eis vrceum cum aqua.*] Id ipsum antea à B. Romano martyre factum in gestis S. Lau-

Laurentij iisdem pæne verbis in hunc modum describitur;

Tum Decius furore, ac dolore percitus, ait ad Valerianum, Arte magica victi sumus: iussitq. beatum Laurentium solui à catasta, & eleuari. Porro Romanus vrceum afferens cum aqua, opportunitatem captabat, qua eum offerret B. Laurentio. Cœpit autem animo æstuare Decius, & præcepit B. Laurentium reddi Hippolyto tantum in palatio. Tum Romanus accessit, & aquã offerens, misit se ad pedes B. Laurẽtij, rogauitq. cum lachrymis, vt baptizaretur; & acceptam aquam benedixit, & baptizauit eum, & cet. ex Sur. vol. iv.

Y ¶ *In prædium suum.*] Exempla secuta earum, quas superius nominauimus, feminarum. Mos autem erat nõ Ethnicorum modo, sed Christianorum etiã, quod ante significauimus, vt mortuorum cadauera extra vrbem prope viam funerarent. Hinc vsus manauit, vt viatorem epitaphia, sepulcrorumq. eclogia compellarent. Fidelium quoq. cœmeteria pæne omnia extra vrbis mœnia fuisse admonuimus, præsertim persecutionũ temporibus, quando Christianis cryptarũ, & arenariarum latebræ vicem oratoriorum, & ecclesiarum explebant. Ceterum in hoc B. Theodoræ prædio, quod ad viam Flaminiam erat, tempore procedente beatiss. Martt. Abundij, & Abundantij nomine ædem exstructam constat, quæ etiam nunc cernitur; & oppidum

Ari-

Arinianum,quod ibidem eſt,B.Gregorij Magni Ro. Pont. ætate ædificatum, legiſſe ſe Blondus affirmat, & à proxima Ara Iani appellatum.

Z ❡ *Milliario ab vrbe Roma* xxviij.] Hodie xx. tantum numerantur,hac, vt putamus, de cauſa: quòd olim & iuſta erāt milliaria,hoc eſt,breuiora,quā hodie ſunt, ſingulaq. columnis lapideis diſtincta, & via Flāminia (quod ex illius apparet veſtigijs) agrum Veiētem ſecās, & per ſummos colles ducta, multos flexus, atq. anfractus habebat: poſteris vero temporibus ea ob vetuſtatem incuriamq. corrupta & interrupta, dum diuerticula,& compendia quæruntur,breuitatis magis, quàm facilitatis eſt habita ratio. Atque hoc modo factum eſt, vt iter ab vrbe Roma ad oppidum Arinianum, breuius quidem ſit: ſed ipſa milliaria, quæ xx. eſſe dicuntur, aliquanto longiora ſint,quam mille paſſus.Eadem ratione Ameria abeſt Roma,teſte Cicerone in orat. pro Roſcio Amerino,ſex & quīquaginta millia paſſuum,quæ tamen nunc xliv.ſunt. Sulmo etiam, vt Ouidio elegia x. placet, ab vrbe Roma diſtat XC. milliaribus; quæ itidē ad lxx.redacta ſunt, nulla viæ,ſiue itineris facta mutatione.

NOTAE AD PRIMAE INuentionis atq. Tranſlationis hiſtoriam.

1 ❡ *Piiſsimo,& æterno Auguſto, Othone Magno III. Imp.*] Ethnica adulatio, & aſſentatio Romanis Principibus hæc,atq. alia cogno-

gnomina tribuit. Magni auté cognomen, Othonis primi, aui huius proprium fuit. Is enim post Henrici patris, Saxonum Ducis, obitum, Germaniæ regnũ adeptus, feliciter annis XXXVI. mensibus x. diebus vj. administrauit, & à rerum gestarum magnitudine cognomen inuenit. A Ioanne xij. Ro. Pont. in Italiam contra Berengarium, eiusq. filium Adelbertum, sæuissimos Tyrannos, & S. R. E. depopulatores euocatus, hostes expulit, pontificiam maiestatem asseruit; Romamq. profectus, in Basilica Vaticana principis Apost. anno Christi CMLXII. ineunte, viij. kal. Ian. ab ipso Ioanne Imperator Augustus inunctus est, & consecratus; imperat annis XI. mens. iv. dieb. xiij. decessit Nonis Maij in Saxonia an. Christi DCCCCLXXIII.

Cui Otho iunior, filius successit, Rex Germaniæ, puer tres annos natus, à patre anno Domini CMLVIII. tertiò Kal. Iunij appellatus, Augustusq. consecratus viuò patre, viii. Kal. Ian. Romæ in Vaticano à Ioanne xiij. ineunte anno Christi CMLXVIII. imperauitque post patris mortem an. X. mens. vii. dieb. xi. vsq. ad annum salutis CMXXCIII. quo, viij. seu vj. Id Decemb. Romæ obijt ætatis suæ an. XXIX. conditusque est marmoreo sepulcro in Paradiso, hoc est, in atrio Basilicæ Vaticanæ. Huic quoque facta cognomen triplex Rubei, Sanguinarij, & Pallidæ mortis Sarracenorum, indiderunt.

In cuius locum, omnium Procerum Germanici

nici regni consensu suffectus est filius, Otho hic iij. annos natus xviij. Mirabilia mūdi postea ob eximias virtutes cognominatus: qui anno salutis CMXCVI. à Gregorio V. Pont. max. v. Id. Maij, vel Iunij, die Pentecostes Romæ in Vaticano vna cum Maria coniuge coronam Imperij sumpsit: regnauitq. an. XII. M. VI. D. II. imperauit an. IV. M. VII. D. XX. regnauit, & imperauit an. XVII. M. I. D. XXI. Cum ex vrbe Roma, quam iam quartum intrauerat, & Domini Natalicia celebrauerat, Rauennam rediret, ex vaticinio S. Romualdi (qui Rauenna discedenti prædixerat, si Romam iret, ipsum nō amplius Rauennam visurum) excessit è uita apud Paternum, agri Cæsenatis pagum, via Aemilia xij. seu v. kal. Feb. an. M. I. Cadauer delatum est Aquisgranum. Fuit hic Otho bellica virtute auo inferior, religione, ac pietate, & patre, & auo longe superior, vt merito pijssimus nuncupetur. Auctores Liutprandus lib. vi. Lambertus, Leo Ostien. lib. ij. Chron. Casinen. Hermānus, Sigebertus Otho Frisingen. episc. lib. vj. Conradus Abbas Vrsperg. item Panuinius, Sigonius, & cet.

2 ¶ *Siluestri Papæ.*] Secūdi scilicet, qui natione Gallus ex prouincia Aquitania, professione monachus Benedictinus Monasterij Aurelian. diœcesis Floriacensis, antea Gerebertus vocatus, vir fuit (vt Aimoinus lib. v. de rebus gestis Francorū cap. xlvi. Guilielmus bibliothecarius, & ve-

tuſtiſſimus liber regni Siciliæ, qui eſt in bibliotheca Vaticana,aliiq.teſtantur) doctiſſimus,mathematicus,& philoſophus egregius;& propter inſignem doctrinam cum ſingulari probitate coniunctam,primo Archiepiſcopus Remenſis, deinde Rauennas, hortatu Imperatoris Othonis iij. à clero, S. P. Q. R. Pontifex creatus Gregorio V.ſucceſſit,kal.Nouēb. CMXCVIII. ſeditq. an. IIII. M.VI.D.XII. obiit iv. Id.Maij. an.Chriſti MIII. Platina, Panuinius, Sigonius. Quapropter quæ de illius exitu Martinum Ciſterciēſem ſecutus,Platina fabulatur,valde ſunt & abſurda, & inter ſe pugnātia,atq. intolerabilem ſcriptorum in rebus alioqui grauiſſimis negligentiam inſcitiamq. coarguunt. Hanc porro maculam,quæ imperitorum hominum vitio in optimi & ſapiētiſſimi Pontificis nomine penitus inſedit atq. inueterauit, Panuinius grauiſſimis rationibus eluit: eademq. grauitate confutat ea,quæ ſimili, aut vecordia aut temeritate & conficta, & credita ſunt de Ioanne, Anglica femina, quam pro Pontifice inter Leonem iv. & Benedictum iij. intruſerunt.

3 ¶ *Quidam Epiſcopus Adelbertus.*] Cuius vita religioſe ſancteq.traducta,& glorioſa pro Chriſti prædicatione mors obita, ex anonymo, ſed bonæ fidei, eiuſq. familiari auctore deſcribitur apud Surium ii. vol. ix. kal. Maij. Is autem in Boemia parentibus opulentia,& regio ſanguine illuſtribus natus, Voicechus, hoc eſt, exercitus

con-

consolatio, patria lingua est appellatus. Subactis vero, & ad Christi fidem traductis Sclauorum, siue Slauorum gentibus (de quibus paulo post dicetur) magnus Otho I. Imperator vrbem insignem Magdeburgum in Saxonia ad flumen Albim condidit, metropolimq. Slauis constituit; eiq. regni atq. imperij sui anno XXXV. primum Archiepiscopum præfecit virum egregia sanctitate Adelbertum, seu Adalbertũ, qui annis XII. eam ecclesiam pie ac sapienter gubernauit. Ad hanc vrbem studiorum causa missus puer Voicechus, & sacro chrismate ab Archiepiscopo inunctus, & confirmatus, eius nomen accepit, atq. Adelbertus deinceps est nuncupatus. Cum annos ix. in litterarũ, bonarumq. artium studijs posuisset, in patriam reuertitur, vbi postea mortuo Pragæ Episcopo, in eius locum summa Ducis, populiq. volũtate, & consensione sufficitur, & ab Vuilligiso Archiepiscopo Mogũtino, præsente Othone II. Augusto, Archiepiscopus consecratur.

4 ¶ *Hic dum in Sclauonia esset Episcopus.*] Boemiam intellige, sic enim Blondus lib. viij. Decadis I. Compertum habemus, inquit, Sclauorum gentem, quam vltra Danubium sedes habere, & socerum, filiumq. Mauricij, illis oppositos fuisse diximus, tunc primum oram Adriatici sinus dextri littoris occupasse, & ita habitationem in ea continuasse, vt quidquid prius Istria, & Dalmatia dicebatur, ad tempora vsq. nostra di-

catur Sclauonia. Nec tamē illa gens reliquit primas ad Danubium sedes: quin ijdem mutato nomine magnam obtinent partem illius regionis. Siquidē locutionis similitudo, ac pæne proprietas ostendit eos, qui nunc Poloni, & Boemi dicuntur, ex Sclauorum reliquijs fuisse. Incoluerunt autem ea loca Vandali, quos credendū est, quando ad Romanorum inuadendas prouincias sunt profecti, partem gentis in patria reliquisse. Quare Sclaui paulo post superuenientes, ita locutiones miscuere, vt ex vtraque tertiam effecerint, quæ pro regionis, & ducum diuersitate, partim Boemica, partim Polonica postmodum sit dicta. Sunt etiam certiores proximis in regionibus, Sclauorum reliquiæ apud Saxones, quorū coloni maiori ex parte puram habent, qua Dalmatæ nunc vtuntur, Sclauonicam locutionem. Idem lib. i. dec. ij. Carolus magnus Sclauos, gentem Danubij accolam vnica æstate perdomuit. Idem de Istria scribens; Quæ litteræ postea appellatæ sint Sclauonicæ à Sclauonibus, Germaniæ olim populis, quos nūc appellant Boemos, à quibus regio Dalmatiæ Istris contermina, paulo post functum vita B. Hieronymum fuit occupata, & semper postea, sicut nunc quoq; fit, Sclauonia est dicta, & cet.

Raphael quoque Valater. lib. viij. de Illyrico scribens, In sequentibus vero temporibus, inquit, Sclaui, dicti sunt, à Græcis autem Sclaueni, de quorum origine Procopius græcus auctor,

sic

sic scribit; Sclaueni gẽs Scythica, Iustiniani tempore in Illyricum irruerunt, multasque strages ediderunt; contra eos Imperator exercitum misit Germanorũ, qui multos ex eis interfecerunt. Sclaueni nihilominus prædas egerunt, & incommoda multa vicinis intulerunt; Istrumque nequeuntes transire, se domum receperũt. Postea vero paulatim Gepidis militantes, supra capita omnium emersere, ac Istrum transeuntes, Imperij Romani loca occupauere, interq. Illyricos constitere, & cet.

Hæc Volaterranus ex tertio libro Procopij de bello Gothico: apud quẽ tamẽ quædã versio nõ Sclauenos, sed Sclauinos habet, aliàs Slauenos. Ceterũ quos Sclauinos, seu Sclauenos, Sclauos, seu Sclauones, & Sclauoniã hi auctores scribũt, ij à quibusdã Slauonia, Slaui, & Slauones vocãtur.

Slauorum autem populi (si Helmoldo presbytero ecclesiæ Lubecensis, qui Slauorum chronica ante annos CCCCXXX. conscripsit, credimus) multi sunt, incolentes littus Baltici maris: cuius sinus ab occidentali oceano iuxta vrbem Hamburgam, orientem versus porrigitur; Balteus idcirco appellatus, quòd instar baltei longo tractu in Græciam vsq. per Scythicas regiones extendatur. Ideinq. mare barbarum, siue Scythicum pelagus, à barbaris, quas alluit, gentibus, nominatur. Hoc autem mare multæ circumsidẽt nationes. Dani siquidem, & qui Northmanni vocantur, septentrionale littus, om-

nesq. eius insulas obtinent. Ad littus vero australe Slauorum incolunt gentes: quorum ab Oriente primi sunt Russi, siue Ruteni, deinde Poloni habentes à Septentrione Prussos, seu Prutenos, à meridie Boemos, Morauos, siue Carinthos, atq. Sorauos. Quod si Vngaria in Slauoniæ partem adijciatur, vt quidam volunt, Slauonicæ linguæ fines latissimè proferentur. Omnes has regiones, præter Prusiam, Helmoldus, cum suam historiam scriberet, christianam religionē tenuisse testatur, quam vna cum suo Rege Sueropilo, Cyrilli, & Methodij fratrū prædicationibus à Dalmatis, Slauisq. susceptam Adriano iij. vt Platina in Ioanne xiiij. vt alij volunt, Nicolao I. Ro. Pont. Ludouico II. Imp. anno Christi circiter DCCCLX. narrant Chron. Polon. Volater. lib. viij. Bonfin. lib. x. Decad. I. Blond. dec. ij. lib. ij.

c Prutenos autem multis naturæ bonis alioqui abundantes idem Helmoldus sua ætate affirmat à Christi cultu sic abhorruisse, vt eius prædicatores immaniter ad necem vsq. persequerentur. Eius rei testem esse, illustrem Boemiæ Episcopū Adelbertum, apud illos martyrio coronatum: quam rem hoc loco inuentionis, & translationis scriptor attingit, Hi tandem Honorio iij. summo Pontifice, & Friderico secundo Imp. (qui coronatus, & consecratus est Augustus Romæ in Basilica Vaticana Principis Apost. x. kal. Decemb. anno Domini MCCXX.) à Theuto-

nibus

nibus coacti, Christianam fidem susceperunt. Genebr.

5 ¶ *Episcopatū deseruit, & monasticū habitū concupiuit.*] Etsi enim vir sanctus in eo magistratu ita se gessit, nihil vt prætermitteret, quod boni Pastoris esse videretur: cum tamen frustra laboraret; perditosq. ac profligatos populi sui mores, & vitia, nullis rationibus emendare posset, desperata illius salute; tempori cedendum ratus, episcopatum reliquit, Romamq. eo consilio venit, vt cum Apostolorū Martyrumq. memorias veneratus esset, Hierosolymam religionis gratia peregrinaretur. Itaq. vrbe egressus, & Palæstinam animo versans, ad Cœnobium Casinense, sancti Benedicti disciplina, & tumulo clarum, peruenit. Ibi Abbatis, & Monachorum monitis ab Hierosolymitana profectione deterritus, cogitauit ijs in locis consistere; sed Nili, Græci Monachi cohortatione animatus, Romā redijt, & in Monasterio S. Bonifacij Monasticū habitum sumpsit. Auctor idem, & præterea Leo Ostiensis in Chron. Casinen. lib. ij. cap. xvij.

6 ¶ *Mansit autem in ecclesia S. Bonifacij.*] Hic est s. Bonifacius ciuis Romanus, qui, vt supra memorauimus, peccati pœnitens, longissimam peregrinationem suscepit, & in conquirendis, sepeliendisque Martt. corporibus occupatus, apud Tarsum Ciliciæ, Diocletiano, & Maximiano Impp. eo nomine comprehensus est, varijsq. cruciamentis affectus, demum prid. Id. Maij ab-

abſciſſis ceruicibus, martyrij palmam accepit: cuius ſocij quingentis ſolidis corpus illius redemerunt, & vnguentis perfuſum, linteoq; obuolutum, Romam transferri curarunt: vbi via Latina primo ſepultum eſt anno Domini circiter CCCV. Nonis Iunij. B. R. Surius Tomo iij. ex Simeone Logotheta, Ado, & cet. Deinde tempore procedente deportatum eſt in Eccleſiam, eius nomine ab Aglae nobili matrona in Auentino ædificatam: quæ poſterioribus ſæculis, S. Alexij nuncupata eſt; ab eius videlicet corpore, quod ex proximis Eufemiani patris ædibus, quæ in Monaſterium poſtea conuerſæ ſunt, elatum, & in eccleſia titulo S. Bonifacij, ingenti pompa, & magnis honoribus ſepultum fuiſſe, memoriæ prodidit Antonius Allius presb. lib. viij. hiſtoriæ de Sanctis, ad Nicolaum v. Pont. max. quæ hiſtoria manu ſcripta in bibliotheca Vaticana ſeruatur. Metaphraſtes templo S. Petri illatum refert: ſed poſtea in ædem s. Bonifacij deportatum eſt, vbi nunc cum eiuſdem reliquijs requieſcit: atq. idcirco in eius cœnobij tabulis, Eccleſia ſanctorum Bonifacij, & Alexij communiter appellatur.

7 ¶ *Dies plurimos.*] Siquidem ter Romam venit, primum ex Boemia, poſt mortem Othonis II. Imp. anno Domini CMXXCIIII. iterū paulo poſt ex Monaſterio Caſinate, cum in monaſticæ vitæ inſtituto quinquennium compleuit. tunc à Boemis reuocatus, & Romani Ponti-

ficis

ficis Ioannis xvi. Abbatisq. imperio ad Episcopatum reuersus, cum apud eos oleum atq. operã perderet, vt dici solet; tertio Romam, cœnobiumq. repetiit, vbi tamdiu fuit, donec rursus ad ecclesiam suam, & gregem redire iussus, Othone iij. Imp. & Siluestro ij. Pont. martyrio coronatur, vt infra dicetur.

8 § *Et ibi regulariter vitam duxit.*] In cœnobio enim s. Bonifacij per idem tempus, s. Benedicti disciplina sub Leone Abbate florebat. hac de re sic fere legitur apud Surium; Admonitus à monachis Casinatibus Adelbertus consilium peregrinationis repudiauit, Nilumq. veneranda canicie monachum adit, ei se in disciplinam tradit, amplexusq. genua senis, in hoc firmus hærebat.

Non negat pater Nilus: Ast, inquit, homo ego sum Græcus; melius conueniunt; cum quibus hæc agas, monachi Latini. Redeas Romam, nutricem sanctorum filiorum: quære nobilem Abbatem amicum nostrum, Leonem; dic te à me missum, eudem discipulũ ad talem magistrum. Hoc duce itineris, prælia Dei securus accede. Fecit, vt homo Dei bonus dixit: ad s. Bonifacium monachalem vestem accepit, sub Abbate, regula duce, militauit; pedem iunxit obedientiæ imperio; & tanquam ad epulas, ita ad complenda iussa festinus: & si quis quid præcepit, adeo lætus, quo plus vile erat, seruitium omne libens facit; cuncta humilia diligẽti studio in se format,

vt ad

vt ad Dei similitudinem promptius scandat. obliuiscitur se ipsum, factus paruulus in medio fratrum. Coquinas purgat, hebdomadas nitidissime procurat, scutellas lauat, & ad cocorum necessaria cuncta cursu peruolat, manibus fratrum aquam de puteo ministrat, mane ad claustra, vespere & meridie ad mensam aquas humero apportat. Vt enim vespere, mane, & meridie, integræ congregationi seruiret, talem obedientiam de Abbate rogans accepit, & cet.

9 ¶ *Deniq. cum domnus Otho Romam venisset.*] Ad coronam videlicet imperatoriam suscipiendam, qua v. Idus Maij, siue Iunij, qui dies erat Pentecostes, anno Christi CMXCVI. à Gregorio V. diximus insignitum, & Augustũ appellatum. Hũc eius primum ad vrbem Romã aduentum, & eã aduentus causam fuisse narrant scriptor vitæ s. Adelberti, & Sigo. Quater enim Romam adiit hic Otho: iterũ cum Gregoriũ Pont. à seditiosis expulsum, x. postquã exactus fuerat, mense, in pristinam sedem restituit, anno Christi CMXCVI. siue CMXCVII. & seditionis auctores dignis pœnis, suppliciisq. affecit. Quod quidem ob beneficium ab eodem Pont. imperiali diademate tum redimitum, nonnulli affirmant, venisseq. primum ad vrbem sub Ioannis xvi. Pont. mortem, qui è vita excessit ix. kal. Iulij CMXCV. Panuinius, & Platina; qui Othonem tertium anno salutis MII. coronatum Augustum refert. Sed de annorum numero ac tempo-

porum ratione mira eſt inter ſcriptores diſſenſio: nobis ſatis eſſe cenſemus, ſi eorum, quæ dicimus, vnum aliquem idoneum habeamus auctorem.

10 ¶ *Et ei epiſcopatum reſtituere curauit, dicens non eſſe bonum, ſuam ſponſam relinquere.*] Qui vitam S. Adelberti litteris conſignauit, Archiepiſcopum Moguntinum dicit auctorē fuiſſe Gregorio V. Adelberti ad ſuum epiſcopatū iterum remittendi. Idem refert etiam Leo Oſtien. lib. ii. cap. xvii. Sed veriſimile eſt præsētis Imperatoris etiam acceſſiſſe auctoritatem; quod hic ſignificat ſcriptor. Quocirca, vt ibidem memoratur, cum à Pontificis Imperio & voluntate diſſentire non poſſet, eum alloquens;

Hoſtis, inquit, quieti meæ inuidet, qui vos ſub ſtimulo inſtigat, vt eò me redire compellatis, vbi animarum fructum non faciam, detrimēta animæ meæ immania capiam. Mitiga ærumnam meam, defectui meo remedium appone, triſti receſſui meo da vel vnum ſolatium. Si audiunt oues meæ, quam clamo, vocem, viuens morior cum eis; ſin minus, pietas tua mihi ſuccurrat, vt verba vitæ eis ſpernentibus, cum licentia tua vadam ad exteras, & incultas gentes, quæ neſciunt nomen domini. Acquieuit libens voluntati hominis Dei Papa Gregorius. Relinquit S. Adalbertus monaſterium non ſine magno planctu ſuo & fratrum, moleſte ferens ruptam quietem; ſed habens de illo martyrio ſpem viuam, cuius

in ſuo

in suo pectore ardebat longum desiderium; & cet.

Ne longum faciam, sanctus Episcopus, cum Imp. Othone, vt idem auctor scribit, ab vrbe profectus eodem anno C M X C V I. siue, CMXCVII. transcendit Alpes; inde ad vlterioris Galliæ sacrosancta loca religionis causa pedibus peregrinatus, & sepulcrum S. Martini apud Turones, S. Dionysij apud Parisios, S. Mauri apud Andegauenses, & s. Benedicti cœnobium Floriacẽse pie veneratus, ad Othonem, à quo mirifice colebatur, reuertitur, atque apud eum diebus aliquot commoratur.

11 *Et a suis non esset receptus.*] Ab Imperatore Othone digressus episcopus, ducem Polonorum Boleslaum petit, cuius opera nuncios ad populum sibi concreditum mittit, vt, an se recipere velint, intelligat. Illi responsionem contumeliarum plenam reportant;

Bene venias, inquiunt Boemi, ad non semel refutatam plebem. mira res: ad populum iam sponte venis, quem semper inuitum vocare & retinere necesse fuit: scimus quid cogites, ò homo; omnino nolumus; nec est tibi locus in populo tuo, qui vis vindicare occisos fratres tuos vulnere magno (etenim Boleslaus Boemorũ dux quatuor germanos fratres s. Adelberti, & quidẽ innocẽtes, crudeliter interfecerat) Accipiẽs ille libellum repudij, & superborum contumelijs non minus exhilaratus, quàm solent homi-

nes

nes, cum præter spem lætum nuncium, & honores sibi delatos accipiunt; Dirupisti, inquit, Domine, vincula mea. Hoc est, quod expectans expectaui, desiderio desideraui. Ablatum est periculum meum. Qua possim ratione illum pascere gregem, qui in faciem respondet, nolle se me habere pastorem? Euge, nõ est quod timeam amplius Papam, nec tristia ferentem Metropolitani immitis epistolam. Qui iam ante paganicis operibus in fugam me compulerũt, ecce palam dicunt, Nolumus te. Igitur soluto fune liber Episcopus apprehendit circumfluentibus animis prosequi desiderium, quod in corde ardebat, speciosi martyrij, apostolica ad hoc vsus licentia: duosq. socios, quos putabat sacro bello futuros aptiores, magisque idoneos portando Euangelio, itineris comites deligit. Prius tamen, vt mater regula docet, & viua verba patrum lingua monent, oratione fratrum, quasi ferrea chlamyde munitus, ad agonem currere cœpit.

12 ¶ *In aliam Sclauoniam, in qua erant Gentiles.*] Prussiam significat. nam hoc etiam habet narratio, quàm ex Surij tomo secũdo adscribere cœpimus: sic enim sequitur; Ducem autem Boleslaum, à quo vehementer diligebatur, rogat, vt se adiuuet, videns videat, quomodo in terram Prussorum nauigio se exponat ob quærendas animas, & vomere Dei proscindendas incultas gentes. Compiet dux iussa spiritualis patris. Est in parte regni ciuitas Gnelna, vbi sacro corpori pla-

placuit quiescere, vbi mille miraculis fulget. Ibi ergo, quia in via sua erat, Missam, cuius longo tempore silentium exercuerat, celebrat, sacras hostias oblaturus, viua mox & ipse Christo futurus. Baptizat populum grandem nimis. Inde nauim conscendit, non post multos dies, Deum nescientibus illabuntur Prussorum terris. Festinantes vero nautæ sanctum onus deponunt, & nocturno auxilio remeãtes, securam fugam capessunt. Ergo miles Dei cum duobus sociis intrauit in paruum quendam locum: Inde conto inter scapulas à barbaro percussus, forasq. eiectus, venit in mercatum, vbi ad circumfusam multitudinem verbum salutis prædicare instituit: sed à feris hominibus statim abire iussus, ad Luiticos, alias, Vilsos, quorum linguam callebat, iter arripuit, & cet.

13 ¶ *Interfecerunt eum.*] Nono Kal. Maij, sexta nimirum feria maioris hebdomadæ, post peractum sub dio Missæ sacrificium, cum fessus de via sanctus Episcopus in medio itinere sese quieti dedisset, Ibi repente à superuenientibus armatis barbaris comprehensus, vinculisq. constrictus, ad montis verticem rapitur, vbi septem lanceis transfixus, eodem die martyr migrauit in cælum, quo Dominus noster Iesus Christus pro salute mundi suffixus est cruci. Duos autem eius socios barbari vinctos abducunt. sacrum B. Martyris caput præcidunt, idq. vna cum corpore caute ac diligenter asseruant, non quidem religio-

ligionis, sed auaritiæ causa: sperabant enim se vtrumque Christianis finitimis vendituros: neque ea spes illos fefellit. Nam pius, ac religiosus Poloniæ Dux, Boleslaus (quem cognomento Crobium, sub idem tempus primum Poloniæ Regem à Ro. Pont. & Imperatore appellatum fuisse testantur Chron. Polon.) ingenti pretio reliquias sanctas redemit, vt ab eodem auctore narratur.

In chronicis etiam Ricardi, monachi Cluniacensis, quæ manu exarata in Bibliotheca Vaticana asseruantur, ita scriptum est; Per idem, inquit, tempus (Othone videlicet tertio Imp. & Ioãne XVI. Pont. max.) S. Adelbertus, natione Boemus, primo Episcopus Pragensis, reuelante Deo in Pannoniam veniens, S. Stephanum primum Regem Vngarorum cum multis baptizauit: deinde Poloniam transiens, eos in fide confirmauit: & post Prussiam ingreditur, vbi fidem prædicãdo, martyrio coronatur. Vsuardus item in suo Martyrologio sic; ix. kal. Maij, In Praga Boemiæ, natalis B. Adelberti Episcopi; qui, cum genti Slauorum verbum vitæ prædicaret, à Paganis septies perfossus, & capite truncatus, tribus diebus ab aquila custoditus est. Maurolycus etiam eum scribit natione Boemum, in Saxonia educatum, Pragensem Episcopum, in Prussia martyrium passum; cadauer in Poloniam relatum, cui Boleslaus Rex apud vrbem Gnesnam tumulum insignem erexerit.

14 ¶ *In Sclauoniam pergit ad educendas Romam reliquias B. Martyris Adelberti.*] Ea res ab historicis,chronographisq.prætermissa est.Ne vero à Maurolyci Martyrologio; ceterisq.discrepare auctoribus videatur, qui huius martyris corpus in Polonia sepultum affirmant, animaduertẽdum est, hoc loco nõ corpus,sed reliquias deportatas, significari, hoc est, partẽ aliquam sacri corporis; id,quod proximis verbis indicare videtur,cum addit; Qui manus eius auferẽs, auro, & gemmis mirè exornauit, & ecclesiam nomini eius, & cet. quo sensu à sacris scriptoribus sæpe vox hæc vsurpatur.

Non ignoramus tamẽ, hoc vocabulum apud profanos auctores interdum pro cineribus accipi,qui, ethnico more combustis humanis cadaueribus,colligebantur,atque vrnæ,sepulcroq. inferebantur: Suetonius in Aug. cap. c. Senatorum humeris delatus in campum, crematusq. reliquias legerunt primores equestris ordinis,tunicati,& discincti,pedibusq. nudis,ac in Mausoleo condiderunt. In Caligula,cap.iij. In Nerone,cap. L.In Domitiano, cap. viij. Monumentum diruit per milites: ossaq. & reliquias, quæ inerant, mari mersit, & cap. xvij. Exstat & C. Plinij ad Traianum Imp. Epistola De reliquijs sepultorum transferendis.Eodem modo accipitur à Poetis, & à Modestino in L.Quidã de cond. Instit.

Christiani, sacriq. scriptores reliquias vocaru[nt]

runt, Sãctorum nunc ipſa integra corpora, ſiue conſumptis ceteris partibus, oſſa omnia, veluti hic idem auctor in extrema narratione, cum ait, Eorum ſanctæ reliquiæ inuentæ ſunt, ſiue tranſlatæ; & cet. quas ipſas toties ante vocauerat corpora: nunc aliquam eorum partem, vel ipſos cineres, vt cum B. Ignatij à leonibus deuorati, & Martyrum igni crematorum reliquiæ collectæ dicuntur. Quo loquẽdi genere, aut veterum Latinorum conſuetudinem, aut grauiorem fortaſſe cauſam, & rationem ſecuti ſunt, eam ſcilicet: quòd, cum duæ ſint hominis partes, anima, & corpus, illa potior, atque præſtantior, vinculis corporis libera, & ſoluta, in cælum migrat, ac redit: hoc relictum in terra ſepulturæ datur, & reliquiarum nomine nuncupatur. Quod autem latine Reliquiæ, hoc idẽ λείψανα græce ſignificãt tã apud ſacros, quã apud profanos ſcriptores. Poteſt & illud dici, Othonem eo animo iter ſuſcepiſſe trans Alpes, vt S. martyris corpus Romam deferret: ſed cum forte comperiſſet illud à Boleſlao Polonorum duce coemptum, ſubſtitiſſe, & ſacris beati martyris manibus donatum, reuertiſſe.

15 ¶ *Et Eccleſiam nomine eius inter duos Pontes fabricauit.*] Id ab ipſo factum oportuit anno Chriſti MI. quo anno is in Italiam magna celeritate ſe retulit, & in Campaniam contento curſu profectus, Capuam, à Saracenis occupatam, non minore felicitate recepit, quam virtute ho-

ſtes è finibus expulit; tunc bellica cura,& labore perfunctus, vt piaculares functiones ſibi iam pridem à beato Romualdo, quòd Creſcentem, ſiue Creſcentium, Conſulem Romanum, contra interpoſitam fidem occidiſſet, iniunctas, obiret (cum iam antea eo nomine apud Rauennam in S. Apollinaris Claſſenſi cœnobio, cui idem Imperator ipſum Romualdum Abbatem præfecerat, totam Quadrageſimam cum paucis familiaribus, inediæ, ac pſalmodiæ deditus, in ſtorea cubans,& ſubter purpuram, atque intimã tunicam cilicio indutus, transegiſſet) Caſinum adijt, duaſq. coronas argenteas S. Benedicto donauit; Inde nudis pedibus ad Garganum montem contendit, Archangeli Michaelis numine celebrem: poſtea patrio aduerſus Beneuentanos odio inflammatus, S. Paulini, Nolani Epiſcopi, oſſa Beneuento ſublata, Romam aſportauit; quæ cum S. Bartholomæi corpore in inſula Tiberina condita ſunt. Tunc ergo Romã tertio venit Imperator Otho. Quare hoc anno Eccleſiam S. Adelberto Epiſc. & mart. ab eo ædificatam credimus, in qua ſtatim Apoſtoli collocata ſint oſſa, quæ pater Otho II. Beneuento hoſtiliter propter oppidanorum perfidiam direpto, vt maiorem eis dolorem inureret, inde poſtremo imperij ſui anno extulerat, Romamq. traducta, vt in Germaniam transferrentur, in Tiberis Inſula Lycaonia collocarat; quod Platina in Benedicti vij. vita ſignificat, vbi de Othone II. lo-

quens,

quens, In Beneuentanos, inquit, conuersus, vrbē capit, & incendit, translato inde S. Bartholomæi corpore, Romæq. in Insula Tiberina collocato, eo loci maxime, qui olim Iouis hostia Lycaonia dicebatur; quiq. triremis puppim præsefert, & cet. Qua quidem in Insula tria Idolorum templa quōdam fuisse legimus, Iouis Lycaonij, vnde Insula nomen accepit, Aesculapij, & Fauni. Fieri autem potest, vt à Romanis Pontificibus aliquod eorum Christiano ritu in Ecclesiam conuersum fuerit, Deoq. immortali dicatum, vbi S. Bartholomæi Apostoli, & Paulini Episc. reliquiæ positæ sint, seruatæq. tantisper, dum ad Aesculapij fanum constructa ab Othone III. Basilica S. Adelberti, sedem mutarint. Ibi tum porphyretico labro recōditæ, honorifice, ac pie coluntur. Atq. hæc causa est, cur ea postea Ecclesia S. Bartholomæi nomine sit appellata.

16 ¶ *Inter duos Pontes.*] Rerum ecclesiasticarum recentiores scriptores hanc Basilicam titulum à Leone x. in quinta illa, & numerosa vnius & triginta Cardinalium creatione, anno salutis M D XVII. factum perhibent, appellatumq. S. Bartholomæi in Insula, siue, Inter Pontes: & Platina in vita Gelasij II. Vrbanum II. ab aduersarijs in Insula Lycaonia inter duos Pontes obsessum fuisse commemorat, anno M XCIIX. Ceterum alter Pons, qui insulam urbi coniungit, ab auctore Fabricius dictus est, quod inscriptus titulus indicat, L. FABRICIVS. C. F. CVR.

 VIAR.

VIAR. FACIVNDVM. COERAVIT. Hodie, Quatuor capitum, vulgo vocatur, ab Iani, siue Termini, quatrifrontis marmoreis simulacris, in Pontis aditu, humi defixis. Alter item, qui Trãstiberinam regionem attingit, ab auctore olim Cestius, modo S. Bartholomæi à proxima B. Apostoli Basilica nuncupatur, à Valentiniano, Valente & Gratiano Impp. aliquando instauratus, vt vetus inscriptio docet. Inter Pontes dicitur ea ratione, qua titulus etiam S. Nicolai Inter imagines, prope Amphitheatrum à Xysto IIII. adiectus. Panuinius. Via Lauicana, Inter duas lauros, nunc XXX. martyres, Diocletiano Imp. coronati dicuntur in Martyrol. nunc SS. Petri & Marcellini Basilica à Constantino Magno condita memoratur: Cœnobium item S. Siluestri, Inter duos hortos, à S. Dionysio Papa constructum legitur.

17 ¶ *Et magnæ dignitati tradidit.*] Multis enim prædijs, muneribus, & priuilegijs eam Basilicã donauit, & exornauit, vt ex Friderici I. Aenobarbi Imp. litteris, quæ in Vaticana bibliotheca retinentur, animaduerti licet; quam liberalitatem æmulatus ipse etiam Fridericus, eandem Basilicam, quam ad Imperatorium ius, ditionemque pertinere pronũciat, nouis priuilegijs, ac beneficijs ornat. Hãc & à Gelasio II. qui anno Christi MCXIX. Romanæ Ecclesiæ mensib. xi. dieb. xxvi. præfuit, instauratam Blondus affirmat lib. ii. Instauratæ Romæ, & ab Alexandro III.

synodo

synodo Lateranensi peracta, anno Christi M. CLXXIX. antiquo ritu consecratam Pontificij testantur annales. Exstant quoque litteræ Petri Leonis, siue Anacleti Pseudopapæ ad Angelum, & Brisōttū Presbyteros Ecclesiæ S. Christi martyris Adelberti, quæ sita est in Insula Lycaonia, quæ modo vocatur S. Bartholomæus, scriptæ anno Domini M. CXXX. quibus ex verbis intelligimus huic olim Ecclesiæ Sacerdotes eos præfuisse, quos Canonicos appellamus. Vt sileantur summi Pontifices, Cælestinus III. & Alexander IIII. qui sacras Indulgentias à superioribus Pontificibus eidem concessas Basilicæ, confirmarunt, & auxerunt.

18 ¶ *In Ecclesia B. Abundij, & Abundantij martyrum.*] quæ adhuc exstat, multis ab hinc sæculis, exstructa, vt creditur, sedatis nimirum persecutionum procellis. Non est silentio prætereundum, quod in Senensi codice manu scripto legitur, de altero templo his sanctis Martyribus iam olim cōstructo. Est enim res memoratu, cognituq. dignissima. Sic autem se habet.

Pipinus Caroli Magni filius (qui à Leone III. Pont. max. anno Christi DCCCI. Rex Italiæ inunctus, & consecratus est, regnauitq. vsque ad ann. DCCCX.) cum Romam proficiscens, ad vrbem Senas peruenisset, horum sanctorum Martt. fama commotus, cogitationem de Basilica illis ædificanda suscepit. Conquisitis, accersitisq. fabris opus grandi pecunia locat. Illi, vt

imperatum erat, prope vrbem via publica in plano loco ad radices montis, qui Plasanus tũc vocabatur; hodie S. Abundij nuncupatur, templi fundamenta primo die iacere incipiunt; postridie ad locũ reuersi, vestigium inchoati operis nullum inueniunt. Quærendo forte, ad verticem montis cum ascendissent, incœptam ibi ædem aspiciunt: demoliti materiam ad plana deportãt; & in pristino loco iterãt fundamenta; sed insequenti luce idem, quod pridie acciderat, offenderunt. Rei nouitate, miraculoque attoniti, ac stupefacti, ædificationem templi in cacumine montis diuino nutu, atque angelico ministerio cœptam, alacriter prosequuntur: omnipotẽti Deo grates agentes, qui, vbi templum sibi, sanctisq. Martt. suis ædificari vellet, ostendisset. Igitur regia munificentia, & pietate absoluta est ædes, quam ab Roma reuertens Pipinus, vij. kal. Septemb. sanctis Martt. Abundio, & Abundantio dedicandam, consecrandamq. curauit: amplissimosq. ei annuos census attribuit; & Cœnobium amplum sacrarum Virginum ordinis S. Benedicti adiunxit: quod etiam hodie singulari religionis, ac sanctimoniæ laude, famaq. celebratur, & B. Ioannis Columbini, ciuis Senensis, & Iesuatorum auctoris (qui in eodem cœnobio filiam virginẽ Christo dicarat, & tertiã suorum bonorum partẽ benigne, pieq. donarat) sacro corpore nobilitatur. Ex quo non obscure pspicitur, quot ante sæculis hi beatissimi Martt.

in honore fuerint apud fideles, & orthodoxos.

19 ¶ *Quæ est iuxta montem Soractis.*] Soracte, siue Soractis, vel Soractes, aut etiã Sorax, mons est in Etruria prope Tiberim in finibus Veientum, & Phaliscorũ, olim Apollini sacer, vt Virg. lib. xj. Aeneid. Silius lib. vij. & viij. Plin. lib. vij. cap. ij. scribunt: postea exploso Idolorum cultu, & nefariæ superstitionis nube discussa, sancti Siluestri primũ secessu, ac latebra, deinde templo etiã celebris, mutato nomine, vt oppidum ad eius radices Tiberi imminens, sic mons ipse, vt Blondus, & Volaterranus scribunt, S. Siluestri à Christianis est dictus: hodie tam proximũ oppidum, quam mons, S. Hedystij, vulgo S. Resti corrupto vocabulo, appellatur: eiq. beatissimo Christi Martyri, quem accolæ religiose colunt, & venerantur, ad radices montis infra oppidum Ecclesia constructa cernitur, distans ab Ariniano circiter tria millia passuum.

20 ¶ *Ad Ciuitatem Castellanam.*] Sitam via Flaminia, vltra Arinianum, vij. mill. hanc Blondus, & Volaterranus Fescenniam à Plinio, Fescennium à Catone, & Strabone vocatã confirmant: Solinus ab Argiuis ædificatam testatur.

21 ¶ *Locus captiuus remansit.*] Ita forte per id tempus, cum hæc litteris mandarentur, Romæ vulgo loquebantur. Quæ vox apud Siculos adhuc eundem retinet intellectum. dicitur enim Cattiua mulier pro uidua, suoq. viro priuata. Eodem modo locus hic captiuus vocatur, non

vt latini loquuntur, vinctus, & in alterius potestatem redactus, sed per abusionem, viduus, & priuatus. Siquidem videbatur per sanctarum reliquiarum asportationem desertus, ac derelictus, & quasi viduus, seu viduatus dominis, orbatus patronis, magno denique præsidio, atque ornamento priuatus. Etruscus scriptor hoc Italicum verbum pro mæsto, ægroq. interdum, alias pro inope, atque egeno vsurpat: quo sensu hodieq. à Gallis transalpinis vulgo vsurpatur. Horum significatuum nullus ab hoc loco abhorret.

22 ¶ *Polismartis Ecclesiæ.*] Blondus, & Sigonius Polimartium nominant. hodie vulgo Bomartium vocatur. Oppidulum est in Etruria nunc Balneoregiensis diœcesis, xiv. milliario à Ciuitate Castellana. videtur ergo corrigendus hic locus, scribendumq. Polimartij Ecclesiæ.

23 ¶ *Gallesanæ Ecclesiæ.*] Galliensium Oppidum lib. j. Italiæ illustratæ de Etruria scribens Blondus appellat: Sigonius in Historia de Regno Italiæ, ceteriq. fere scriptores Gallesium, siue Castellum Gallesij. Id situm est in Etruria Castellanam Ciuitatem inter, Ortamq. siue, vt Plinio placet, Hortanũ: distatq. à Tiberi amne paulo amplius M. pass. à Castellana Ciuitate vij. Mill. ab Orta totidem. Multis iam ætatibus hæ tres Ecclesiæ Castellana, Ortana, & Gallesana ab vno Episcopo gubernantur.

FINIS.

pag.	verſ.	
9	17	*Sicut in ſacris legibus præcipitur: alias ſicut ſacrilegi puniri præcipiuntur.*
14	vlt.	*Inſtruxerunt Nonis Auguſti; al. viij. Id. Aug.*
17	1	*Poſt dies vero xxij. al. xxv.*
24	13	*Qui ſanctum Iob prouocaſti. al. probaſti.*
	21	*Et temetipſum oſtendiſti in opere claritatis tuæ; al. charitatis.*
	25	*In profundum Tartarum introiſti. al. in fundum Tartaricum.*

Pag. 21 verſ. 8. ad ſpectaculum conuenerat mortis. ita legendum eſt; non, mortui. Sic & B. Gregorius Magnus loquitur lib. iij. Dialog. cap. xi. de S. Cerbonio Populonij Epiſcopo, qui ab immaniſſimo Gothorum Rege, Totila, urſo ad deuorandum obiectus, & diuinitus ſeruatus eſt, ſcribens, Tunc populus, inquit, qui ad ſpectaculum venerat mortis, magno clamore verſus eſt in admirationem venerationis. Confluxerat ergo multitudo ad ſpectandos SS. Martyres, homines videlicet genere ac virtute nobiles, claros, inſignes, ad ſupplicium mortemq. ob chriſtianæ fidei profeſſionem adductos.

ER-

ERRATA.

pag.	verſ.	Errata.	Correctiones.
2	4	*extrueres.*	*exſtrueres.*
	17	*munete.*	*munere.*
19	10	*Dicit ei.*	*Dicit eis.*
38	28	*corporbus.*	*corporibus.*
41	27	*Vicentio.*	*Vincentio.*
51	30	*Sacerdores.*	*Sacerdotes.*
61	4	*Maguntiæ.*	*Moguntiæ.*
70	6	*verberantur.*	*verberabantur.*
84	23	*inſignem.*	*inſignem egerunt.*
86	12	*paſtim.*	*paſsim.*
87	6	*poſt.*	*poſt beſtias, ignes.*
106	2	*Beda.*	*Beda,et B.R.iv.Id.Maij.*
115	23	*Liuius.*	*Liuium.*
116	11	*Plebei.*	*Plebeia.*
128	15	*exempla.*	*exemplum.*

Edita Romæ ad gloriam Dei omnipotentis, & honorem ſanctorum Chriſti martyrum anno Domini M. D. LXXXIIII. Menſe Iunio.

Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris, ac Domini noſtri, Gregorij Papæ XIII. Anno XIII.

REGISTRVM,

A B C D E F G H I K.

Omnes ſunt quaterniones.

ROMÆ,

Apud Franciſcum Zanettum.

M. D. LXXXIIII.

vt latini loquuntur, vinctus, & in alterius potestatem redactus, sed per abusionem, viduus, & priuatus. Siquidem videbatur per sanctarum reliquiarum asportationem desertus, ac derelictus, & quasi viduus, seu viduatus dominis, orbatus patronis, magno denique præsidio, atque ornamento priuatus. Etruscus scriptor hoc Italicum verbum pro mæsto, ægroq. interdum, alias pro inope, atque egeno vsurpat: quo sensu hodieq. à Gallis transalpinis vulgo vsurpatur. Horum significatuum nullus ab hoc loco abhorret.

22 ¶ *Polisмartis Ecclesiæ.*] Blondus, & Sigonius Polimartium nominant. hodie vulgo Bomartium vocatur. Oppidulum est in Etruria nunc Balneoregiensis diœcesis, xiv. milliario à Ciuitate Castellana. videtur ergo corrigendus hic locus, scribendumq. Polimartij Ecclesiæ.

23 ¶ *Gallesanæ Ecclesiæ.*] Galliensium Oppidum lib. j. Italiæ illustratæ de Etruria scribens Blondus appellat: Sigonius in Historia de Regno Italiæ, ceteriq. fere scriptores Gallesium, siue Castellum Gallesij. Id situm est in Etruria Castellanam Ciuitatem inter, Ortamq. siue, vt Plinio placet, Hortanũ: distatq. à Tiberi amne paulo amplius M. pass. à Castellana Ciuitate vij. Mill. ab Orta totidem. Multis iam ætatibus hæ tres Ecclesiæ Castellana, Ortana, & Gallesana ab vno Episcopo gubernantur.

FINIS.

pag.	vers.	
9	17	*Sicut in sacris legibus præcipitur. alias sicut sacrilegi puniri præcipiuntur.*
14	vlt.	*Instruxerunt Nonis Augusti; al. viij. Id. Aug.*
17	1	*Post dies vero xxij. al. xxv.*
24	13	*Qui sanctum Iob prouocasti. al. probasti.*
	21	*Et temetipsum ostendisti in opere claritatis tuæ; al. charitatis.*
	25	*In profundum Tartarum introisti. al. in fundum Tartaricum.*

Pag. 21 vers. 8. ad spectaculum conuenerat mortis. ita legendum est; non, mortui. Sic & B. Gregorius Magnus loquitur lib. iij. Dialog. cap. xi. de S. Cerbonio Populonij Episcopo, qui ab immanissimo Gothorum Rege, Totila, urso ad deuorandum obiectus, & diuinitus seruatus est, scribens, Tunc populus, inquit, qui ad spectaculum venerat mortis, magno clamore versus est in admirationem venerationis. Confluxerat ergo multitudo ad spectandos SS. Martyres, homines videlicet genere ac virtute nobiles, claros, insignes, ad supplicium mortemq. ob christianæ fidei professionem adductos.

ER-

REGISTRVM,

A B C D E F G H I K.

Omnes ſunt quaterniones.

ROMÆ,

Apud Franciſcum Zanettum.

M. D. LXXXIIII.